PRAEMIUM

[illegible]

DATUM

[illegible]

[illegible]

MATHIÆ CASIMIRI
SARBIEWSKI
E SOCIETATE JESU
OPERA POSTHUMA

QUIBUS ACCESSERUNT MULTA PÖEMATA VERNACULO CARMINE REDDITA.



VARSAVIÆ
TYPIS REGIIS ET REIPUBLICÆ IN COLLEGIO SOCIETATIS JESU

M DCC LXIX.

Opera posthuma MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII è Societate JESU, ut in unum volumen collecta edi possint, censeo.

JOANNES BOHOMOLEC S.J.
Censor Librorum Diæcesanus.

IMPRIMANTUR.

ANTONIUS OKĘCKI Vicarius in Spiritualibus Officialis Varsaviensis ac per Ducatum Masoviæ Generalis.

HIACINTHO OGRODZKIO

NOTARIO REGNI POLONIÆ

SUPREMO CANCELLARIÆ REGIÆ

PRAEFECTO

CAPITANEO LUBCZANENSI

VIRO

Et meritîs, & honoribûs

ILLUSTRISSIMO.

FRANCISCUS BOHOMOLEC Societatis JESU.

CUM ſingularem erga me TUAM VIR ILLUSTRISSIME benevolentiam, ipſe mecum reputarem, quæreremqué modum, quo illi pro viribus meis reſpondere poſſem, aliqua SARBIEVII noſtri opera, quæ nondum typis vulgata fuêre peropportunè in manus meas inciderunt. Arripui libenter occaſionem iſtam, adjectîſqué aliîs ejuſ-

dem Auctoris operibûs, quæ in variis condicibus dispersa latuerant, omnia in unum volumen còégi, simulqué cum vernacula quarundam odarum interpretatione in lucem emittere, Tuoqué Nomini consecrare decrevi, ut vel hoc saltem pacto, aliquod grati animi mei documentum præberem.

Non auderem certè Tibi tanto Viro, tam exiguum opus offerre, nisi offerrem Sarbievium. Nihil enim parvum esse arbitror, quidquid ab illius ingenio est profectum. Nequé vereor, ne, cùm tanti ejus opera facio, plus justo tribuere videar: hæc enim opinio mea, omnium fere eruditorum virorum judicio innititur. Idem te quoqué sentire, ipse mihi in eo colloquio, satis declarâsti, in quo, ad evulganda quantocius ista opera, me cohortatus, multa in laudem Sarbievii, graviter, ac sapienter protulisti.

Si mihi communem sequi morem, per modestiam Tuam liceret, excurrerem hìc libenter in

lau-

laudes, quas justè mereris. Copiosam certè præberent mihi materiam, præclaræ animi, ingeniiqué dotes, quibûs & publicam omnium benevolentiam, & familiarem regum consuetudinem Tibi conciliâsti. AUGUSTUS felicis memoriæ TERTIUS, non minus doctrina, quàm probitate Tua singulari delectatus, primùm Te ad secretioris tabularii sui munera obeunda invitavit, tum Legationi illi, ad ELISABETHAM Russorum Imperatricem institutæ, ut à consiliis esses, dignissimum censuit. STANISLAUS verò AUGUSTUS Regum nostrorum sapientissimus, æquissimusque meritorum æstimator, cui jam pridem, & merita Tua, & virtutes eximiæ perspectæ fuerant, ad altiorem multo gradum Te evexit, cùm istos titulos, quibûs hodie præfulges, & operosa quidem, sed honorificentissima munera Tibi ultro detulerit.

Hæc, & multa alia, ùt contexendæ cuivis etiam prolixæ orationi abundè sufficiunt, ita mihi

uberem

uberem ſanè laudum tuarum copiam ſuppeditarent, niſi exploratum haberem, ſtudia Tua, eò unicè collimare, ut laudanda ſemper agas, laudibûs verò nunquam delecteris. Igitur modeſtiæ Tuœ magis, quam voluntati meæ obſequendum eſſe duxi. Erit profectò tempus, cùm etiam Te invito, viri literarum amantes, pulcherrimas illas ingenii, animiquè Tui dotes, quas nunc amamus, & miramur, poſteritati imitandas proponent. Ego vero, Vir Illustrissime, id unicum nunc in votis habeo, ut meum iſtud erga Te ſtudium, tam benevolô excipias animô, quàm propenſô illud profiteor.

LECTORI
FRANCISCUS BOHOMOLEC
Societatis JESU.

NON ignoro, multos multa ſcripſiſſe contra eos, qui præfationes ſuas, jejunîs librorum, quos edunt, laudibûs refertas, lectoribus obtrudere ſolent. Eò longiùs ab iſta reprehenſione abeſſe me gratulor, quo minus mea laude, opera, quæ in lucem profero, indigere puto. SARBIEVII ſunt: hoc dixiſſe, ſatis eſt illa commendâſſe. Quapropter, ne inani verborum ſtrepitu lectorem detineam, id paucîs complectar, quod illi non ingratum fore exiſtimo; quo pacto, ſcilicet, iſta SARBIEVII opera è tenebris diuturnis eruta, ad manus meas pervenerint.

ADAMUS NARUSZEWICIUS è Societate noſtra Sacerdos, non tantùm cultor ſtudioſus, ſed etiam ſtrenuus SARBIEVII imitator, qui & latina, & vernacula poëſi, pro immortalitate nomini ſuo comparanda, non irrito conatu jam pridem laborat, cùm multos Bibliothecæ noſtræ Vilnenſis codices manuſcriptos evolveret, incidit in illa

SAR-

SARBIEVII poëmata, quæ jam anno à partu Virginis 1767 Vilnæ typîs Academicîs, publico literarum commodo evulgavit. 1757?

Hoc ſucceſſu alacrior factus, non minore, quàm priùs diligentia, aliarum quoqué Bibliothecarum latebras excutere orſus, non priùs à propoſito deſtitit, quàm optatum laboris ſui fructum referret. Multa enim vetuſtate ac ſquallore obſita ejusdem Auctoris opera invenit, mecumqué, pro ſua, quæ inter nos jam pridem intercedit, amicitia, communicavit. Quæ cùm non indigna eſſe SARBIEVIO vidiſſem, iterum, iterumq; hortatus ſum, ne illa diutiùs deliteſcere pateretur. Nec diu luctandum mihi erat cum viro publicam literarum utilitatem ſemper, & ubiquè quærente. Enimvero, non tantum typîs vulganda mihi permiſit, ſed ſtudium etiam, operamqué ſuam, ut quantocius excuderentur, adjecit.

Magna igitur animi alacritate opus iſtud aggreſſi ſumus. Poëmatibus adjecimus epiſtolas cùm ipſius SARBIEVII, tum ad SARBIEVIUM ſcriptas, non eas duntaxat, quæ ignotæ hucuſque latebant, ſed illas etiam, quæ ſparſim variis in codicibus reperiri potuerant. Placuit tandem ad finem libri apponere non nullas ejuſdem Poëtæ odas carmine vernaculo non ineleganter redditas. Interpretum nomina, ſingulorum operibus præfiximus. Hîs fruere lector, & vale.

VITA

VITA SARBIEVII.

C*MATHIAS CASIMIRUS SARBIEWSKI illustri genere Masovita, Stanislai Masoviæ Palatini frater germanus, natus est in oppido Territorii Ciechanoviensis* Sarbiewo *dicto, Anno salutis humanæ* 1595. *Avum habuit Adamum, centum & novem annos superstitem. Patrem Mathæum, Matrem verò Anastasiam Milewska. Prima litterarum rudimenta posuit in Gymnasio Societatis Pultoviensi; ubi quantô esset ingeniô, jam tum probavit insigniter; cùm puer admodùm Lyrica Carmina factitaret; cujus rei ipse meminit in Libri I Ode* 15 *ad Narviam amnem, qui Pultoviam præterlabitur. Cooptatus in Societatem JESU, anno* 1613 *explevit vitæ Religiosæ Tyrocinium sub Laurentio Bartilio viro sanctitate & scriptis clarissimo. Cùm Philosophicis disciplinis operam*

daret

daret Vilnæ, naturalis genii impetu ad Pöësim ferebatur, in qua deinde tantùm excelluit, ut apud omnes ejus sæculi eruditos plausum tulerit. Crosis eloquentiæ Magister Carolum Chodkievicium ejus gymnasii Conditorem, Vilnensem Palatinum, Stanislaum Kiszka Samogitiæ Antistitem, Wołłovicios, cæterosquè Lithvaniæ proceres, tum Melica, tum Heroica Pöësi celebravit. In Universitate Vilnensi Rhetoricam artem explicuit; & quod summis nonnisi viris concedi solet, juvenis & nondum sacris ordinibus initiatus, informandis ad humanitatem Societatis adolescentibus Magister præfuit. Ex hac Sarbieviana Schola prodiit inter cæteros Nicolaus Kmicic, nobilis Roxolanus ex Provincia Vitebscensi, Dythyrambi illius, qui in Epicytharismate ad Lyram Sarbievii conspicitur, Josaphatidos, aliorumquè pöëmatum cultissimus scriptor.

Romam ad conficiendum reliquum studii Theologici curriculum profectus, comites itineris habuit Andræam Rudomina, apud Sinenses demortuum, & Nicolaum Zawisza; de cujus immaturo paulò post suum in Urbem adventum obitu, tum de iis, quæ sibi in via acciderant, scripsit Elegiam ad Kmicium, suum nuper discipulum, Philosophiæ tunc in Collegio Pultoviensi alumnum. Dum per Saxoniam & Marchiam iter facerent; effusus repentè è montium,

silva-

ſilvarumquè latebris hominum armatorum globus, & vehicula inermium circumgreſſus, minîs & ictibûs perculſos, metu compulit ad tradendum ſibi omne pecuniarum viaticum. Interim deſtitutos omni ope ad proſequendum ulterius iter, primùm agreſtes, deinde Patres Collegii Bambergenſis humaniter exceperunt, inſtructoſquè novîs ſubſidiîs dimiſerunt.

Theologiæ ſtudia auſpicatus magnam ſibi exiſtimationem comparavit. Ea tamen ſtudia interdùm intermittebat, ut genio ſuo aliquantisper indulgeret, & Pòëticam excoleret. Quod eo ſucceſſu fecit, ut Theologiæ alumnum ſe ſimul diligentem, & Pòëſeos Profeſſorem præberet non inutilem. Quippe quæ Vilnæ de Acuto *&* Arguto *conſcripſerat, hæc eadem poſcentibus amicis Romæ prælegere per Auguſtum & Septembrem inſtituit, non ſine magna plaudentium Romanorum frequentia. Hinc facilè venit in amicitiam docliſſimorum virorum, qui tunc Romæ verſabantur; præſertim Tarquinii Gallutii, Famiani Stradæ, Vincentii Guiniſii, Alexandri Donati, Franciſci Bentii, Stephani Menochii, quorum ille nomina cárminibus ſuis conſecravit. Neque Romanorum tantùm, ſed Tranſalpinorum etiam eruditorum hominum amicitiam & laudes promeruit; inter quos principem locum occupant jure meritò, Erycius Puteanus, Balthaſar Moretus, Joannes Bollandus & Dyoniſi-*

onisius ille Petavius, ad quem Parisiis tunc degentem plures epistolas dedit. Quo in eum animo fuerit Urbanus VIII, ex pluribus benevolentiæ indiciis ab eruditissimo hoc Pontifice Sarbievio exhibitis facilè constat. Non tantùm eum laureâ pòëticâ ornavit, & abeunti in Patriam numisma aureum ad collum suspendit; sed etiam, cùm Breviarii emendationem procuraret, in hymnis quibusdam castigandis & ad leges metricas revocandis, vel novis etiam condendis, operâ ejus usus est feciliter. Mirum profectò est, quod Resnellus Gallus in sua de Pòëtis Laureatis dissertatione, quam Volumini X Monumentorum Humaniorum Litterarum inseruit, asserat: neminem Pòëtarum ab Urbano laureâ pòëticâ decoratum fuisse. Certârunt quoque in amando ornandoque Sarbievio Italiæ Principes, Franciscus Cardinalis Barberinus, Paulus Ursinus Bracciani Dux, ad cujus ille villam per ferias Septembres secedens, amœnitatem agri eleganti carmine commendavit.

Præter Pòëseos laudem, insignem etiam Antiquitatis cognitionem consecutus est. Visebat comite & Mystagogo Alexandro Donato vetustissima Romanæ Urbis monumenta, arcus triumphales, obeliscos, amphitheatra, delubra: inspiciebat numismata, in ære ac marmore spirantia Deorum simulacra, & quibuscunquè rebus studium Antiquitatis mirificè illustratur.

Hinc

Hinc fundamenta jecit eruditi operis de Diis gentium, quod in Patriam redux quatuor libris est complexus. Româ Florentiam profectus, epigrammata aliquot in nomen Malaspinæ Rectoris Collegii, in Statuas Ciceronis, & Joannis Caroli Chodkievicii, quas in hortis Mediceis observavit, conscripsit.

Redux in Poloniam per montes Carpathios, Vilnæ iterum Rhetoricam bienniô, deinde trienniô Philosophiam, tum quatuor annîs Theologiam Scholasticam cum singulari laude prælegit. Sublato è vivis Sebastiano Łaiszczewski accitus est Varsaviam, ut Oratoris sacri & Theologi Regii munus præstaret, iam ante Vladislao IV. probè cognitus, & à Proceribus commendatus. Cùm laureâ Theologicâ in præsentia Regis, Sororis Regiæ Annæ, Legati Romani Pontificis, in templo D. Joannis à Jacobo Lachowski, Præside Provinciæ ornaretur, detraxit Rex digito suo annulum, eoque novum Doctorem per Joannem Gembicki Regni tabulario præfectum inaugurari voluit. Hoc Principis litterarum amantissimi monumentum in Collegio Vilnensi Academico asservatur.

Quæ fuerit Sarbievii in Aula Regia vivendi ratio, quæ modestia, ex epistolis Lubienscii infra appositis luculenter patet. Intentus muneri imposito, quod gravissimum onus sine collega laborum per aliquot annos sustinuit, Deo

Mu-

Musis, paucisque amicis vacavit, nunquam beatior, nisi cùm solus ageret. Amœniorum tamen literarum studia, monente Lubienscio, amicorum maximo, interdum recolebat. Comes itinerum Regiorum. comes venationum, cùm aulici feras in silvis insequerentur, ille in vile aliquod taguriolum secedens, Silviludia scripsit, opus novo pòëseos genere & metro compositum. Redux cum suo Principe è Thermis Badensibus quidquid temporis à dicendis sacris orationibus supererat, in Lechiade polienda impendit. Demum pertesus aulæ, & in solitudine religiosæ domûs procul à strepitu, procul à curis profanis & invidia mortem præstolari tantopere desiderans, dimissionem à Rege obtinuit. Festinanti abire Varsaviâ, Procerum quis nescio cupiens Mathiam è suggestu verba facientem audire, orat Regem, proficiscentem ne dimittat ante, quàm ipse concionantem audiêrit. Paruit iussis Principis Sarbievius, sed suo fato. Relictâ quippe cathedrâ tam acerrimìs cœpit torqueri capitis doloribus, ut nescio quam guttam (sic enim ipse querebatur) in cerebrum desuper labentem cum ingenti totius corporis horrore sentiret. Urgente malo & medicorum artes superante post triduum mortalitatem exuit magno omnium mœrore, die 2 Aprilis, sæculi Annô supra millesimum sexcentesimum quadragesimô, ætatis quadragesimô quintô nondum expleto.

In pervolvendis veterum Pòëtarum monumentis mirè fuit assiduus. Horatium Pindarum cæterosque Lyricos familiarissimos sibi fecit. Repertus dicitur Drohicini in Bibliotheca PP. Soc: Virgilius, ad cujus calcem ipse notaverat, quoties unumquemque Pòëtarum perlegisset: Virgilium sexagies, cœteros decies & amplius à se perlectos testabatur. Grœcœ linguæ non ignarus, Gallicœ etiam perdiscendœ, quœ tum in aula Regia cum adventu Caeciliae Renatae plurimùm vigebat, operam dedit; quemadmodum ipse mentionem facit in epistola ad Lubienium his verbis : Popularis istius linguæ studium, in quo nunc necessariò versor &c. *Quod perperam à quodam vitae Sarbievianae scriptore de lingua Polonica intellectum est; quasi Sarbieuius Litvanus esset, & linguae Polonicae penitus ignarus ; cùm utraque haec gens unum idemque idioma habeat, & barbara illa veterum Litvanorum loquendi ratio plebi tantùm in quibusdam provinciis Litvaniae sit cognita. Temporis erat parcissimus, si quid insomnis noctu non infeliciter cogitabat, statim id in tabulam lectulo appensam referebat, ne irrepente somno memoriâ excideret. Cum excellentia ingenii conjunxit insignem morum simplicitatem. In Christum Crucifixum, in Virginem Deiparam peculiari amore ferebatur. Paupertatis Religiosae cultor eximius. Praesidi-*

bus

bus suis carus, quia mitis & obsequens. Ut erat judicii maturi, atque in suis propè nimii, saepe cùm vix horae intervallo tempus dicendi pro concione distaret, ad Praesidem accedebat, ut is decerneret, quid sibi deligendum esset ex iis, quae animo concepta in chartam ordine redegerat. Quod Divina Providentia per ora plaususque hominum totam ejus vitam deduceret, adscribebat ille huic exercitationi, quòd nunquam ullum suorum superiorum ex destinato contristâsset. Caeterùm, qui de Sarbievio plura scire voluerit, legat vitam ejus conscriptam Dresdae à Lebrechto Langbeinio: *Historiam Provinciae Litvanae nuper editam à* Stanislao Rostowski *Societatis nostrae Sacerdote: Opusculum de scriptoribus Societatis ab* Alberto Kojałowicz *elaboratum; ex quibus nos fontibus aliqua hìc summatim delibavimus.*

MATHIÆ

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEWSKI

Societatis JESU

OPERA POSTHUMA.

IN NUPTIIS PETRI TRIZNÆ *cum* SOPHIA WOLLOWICIA

CARMEN.

MDC XXI.

Eſt locus æterno quem prætereuntia motu
Aſtra terunt; infra vivis obſeſſa favillis
Ardet, & impaſtos late domus aggerat ignes.
Huic intertextis ſuperimminet aurea ſtellis
Regia ſidereos curva teſtudine cætus
Agglomerans: ſubter roſei laquearia cœli
Didita finitimam terrent incendia Lunam.

In medio ſacris Præſes Concordia tectis
Emicat, & gemino ponit diſcrimina Mundo.
Intus inauratis repetita cubilibus ardent
Lumina: nunc fixi per eburnea cruſta pyropi
Effundunt ſplendore diem: nunc colligit atro
Cæruleus livore chalybs: nunc verna ſmaragdus
Lumina mentitur: vitreo nunc corpore denſam
Anguſtant cryſtalla diem: ſed plurimus auro
Spargitur, & late per tecta reſulgurat ignis.
Ipſa domum placidâ Concordia fronte ſerenat
Illuſtri ſuffulta toro: rubet ebria fuco
Veſtis, & aurato dimiſſi carcere crines.
Illam multifido circumnitet Iris amictu,
Et picturatâ prægnantia nubila zonâ
Subligat, ingenteſq; negat crebreſcere nimbos.
Ponè Semiramio flagrans Hymenæus in oſtro,
Concordes thalamis tædas, ignemq; maritum
Prætendit dextrâ: circum Choreæq;, Decorq;
Ingenuiq; Sales, & amæno Gratia vultu
Cæſariem per colla vagam, flavumq; decori
Suggeſtum criſpant capitis: ſtudet ipſe pudicis
Floribus, & caſto contexere vimina vere.
Nam modò virginibus nardis, modo cælibe thymbrâ
Lilia ſubſtringit, modò verſicoloris anethi
Exuvias, raptumq; roſæ miſcebat honorem.
Illum futilibus dum necteret aurea nodis
Lilia, Trizniacæ florentia Lilia gentis,
Imperat acciri placidis Concordia dictis.
At puer impexis circumſtipata liguſtris
Serta rapit, celerans greſſum, pictoq; ſuperbam
Murice verrit humum: tenero placidiſſima vultu
Adloquitur Mater venientem, & talia mandat.
Nate meæ vires, cui connubialia curæ
Fædera, ſcis credo quæ noſtra per omne poteſtas
Impe-

Imperium pateat; ſeu quà ferus explicat ignes
Mulciber, & trepidæ tangit confinia Phæbes,
Seu quà pelluſtres liber domat Aeolus auras.
Quid memorem latè domino populata tridenti
Æquora? perſpicuas hyemes, ſortita ſecundum
Regna Jovē? gelidis quid promptos fontibus amnes,
Quæque procelloſas acies, & roſcida volvunt
Agmina fæcundis affines nubibus undæ?
Quid ſegnes Cybeles oras, imoque tenacem
Orbe plagam; duplici quam ſol circumſpicit ortu
Avius, & mediam bipolus tranſuerberat axis?
Hic varias diſpenſo vices. nunc albet in omni
Canities hyberna ſolo, mutatque jacentes
Pallor agros: nunc Sarmaticis animoſa pruinis
Bruma vagos vitreis inſternit pontibus amnes:
Nunc teneram ver crinit humum: nunc induit æſtas
Meſſibus: Autumnus nunc mitibus aggravat uvis.
Quin etiam miti dum lævigat æquora curru,
Et per inæquales vehitur temone procellas
Me longe veniente, Thetis demandat iniquis
Exilium ventis: placidis irrepere tonſis
Ipſe ſopor, leneſque volunt dormire procellæ,
Noſtra procelloſis quoties manus imperat undis.
Præterea toto pugnantia ſemina mundo
Tempero. ſubmittunt proprios elementa furores,
Et conjuratas in mutua prælia vires
Imperiis fregere meis. humentia ſiccis
Aſtrinxère fidem, jurarunt frigora flammis.
Quin etiam populos, & debellata Tyrannis
Mænia, captivas urbes, populataque late
Regna ſacroſancto ſocialia fædere ſervo.
Gentibus hinc Leges veniunt, varioſque ſecuta
Plebs diverſa ſtatus. his cœlitis otia vitæ
Et ſecura placent vanarum oblivia rerum.

Illis ſub galea longo caneſcere Marte
Sedit, & æquævam thorace effundere barbam.
Immotæ leges alios, æternaquè poſcunt
Conjugii ſancita & ineluctabile vinclûm.
Et nunc Illuſtri ducens ab origine nomen
Triznius, & magna ſata Vellovicias aula
Caſta volunt teſtes in fœdera jungere dextras.
Ergo age, junge citos volucri temone jugales
Et fauſtas inviſe domos, ſacroquè favore
Arcta maritales in vincula ſtringe favillas.
Quin etiam cultus, & connubialia lætus
Feſta para, menſaſquè pio largire paratu.
  Sic Mater. Matri roſeo ſic filius ore:
Excelſam genitrix ſobolem ſubmittit amico
Illuſtris Fortuna iugo: qua voce recentis
Enumerem laudes nativaquè dona mariti?
Talis in Argivas Hector mucrone cohortes
Emicuit: talem fugiebant Troica Pyrhum
Agmina; cum denſo volitantis fulmine teli
Laomedonteæ repulit convitia Troiæ.
Huic & Echionius ſua ſuppoſuiſſet Arion
Terga, ſagittiferas ſuper aſſilientia turmas.
Quiquè repentinos prævertitur aliger Euros,
Bellerophonteæ ſonipes auditor habenæ
Hortantis plauſus ac imperioſa tuliſſet
Verbera. nam quis eo frænorum lege ſuperbos
Agglomerare gradus, ſegneſquè relinquere ventos
Ocyor? immotam veluti fera tergora ſedem
Occupat, & portantis equi decreſcit in artus.
Talem illum genitrix nuper gaudentia propter
Flumina, mirantis vidi ſuper aggere ripæ,
Dum volucres properè ſuper arva patentia curſus
Explicat, innumeroquè premit ſpatioſa rotatu
Jugera; ter periere viæ, ter adorta reverſum

ula

Ungula ſtravit iter redeunte per ardua gyro
Culmina: ſpectabant hilares de monte Napeæ,
Et Litavæ Driades, & vilia numina Fauni
Feſtivis equitem circum ſonuere choreis.
Quis reliquas juvenis laudes, generiſq; vetuſtam
Enumeret retro ſobolem? dimiſſus ab illa
Stirpe tamen fuerat; cujus Novogroda ſub armis
Biſtonias acies, effrænatamquè Scytharum
Eluſit rabiem, & victricia rettulit arma.
Hujus ego ſerum per plurima luſtra nepotem
Ingenuis dono thalamis, & ſorte beatæ
Conjugis. o quantos nova nupta meretur honores
Quos aditus illi laudum? quo detonet orſu,
Nutat, & ambiguo facundia fluctuat ore,
Verbaquè cunctantes acuunt ſub pectore curas.
Hinc me collectæ rapit alta modeſtia frontis,
Inde verecundo certus ſub ſanguine candor
Et Pudor, & niveos diſtinguens purpura vultus.
Virgineis quæ forma comis! quæ vertice regnat
Majeſtas! quoties bifidum religantur in orbem
Ingenui crines, & caſtigata magiſtro
Pectine cæſaries. ſic ſumma cacumina nodis
Lilia ſubſtringunt, cum pubeſcentia primo
Flore coronantur, quæ manè tenerimus Auſter
Et matutinis aluere vaporibus auræ.
Quid vigiles nuptæ curas, docilisquè labores
Enumerem dextræ? ſtudiis operata Minervæ
Stamina, Sidoniisquè vagas erroribus artes?
Sæpe quidem, Mater, referentia texta videbam
Penè locuturas adiecto flamine formas,
Ipſa ſua, quas ſcripſit, acu: ſed nobile nuper
Stamen & artifici deductas pollice fraudes
Obſtupui, quas ipſa ſacras appendit ad aras,
Divorumquè pios juſſit obnubere vultus.

Illa nec egregii generis, ſtirpiſquè decora
Luce caret. memorat longè demiſta propago
Et decus, & ſævis Mavortia ſigna trophæis.
Hinc æquum fœdus, proavitaquè fama maritis
Tollitur arce pari, ſimiliquè ſupervolat alâ
Mirantes terras. quantùm premit ille potentes
Heroas, tantum conjunx heroidas exſtat.
Ergo verecundo conjungere pectora nexu
Amborum ſors æqua cupit, menſiſquè ſuperbas
Inſtaurare dapes. noſtris adlabere tantum
O genitrix votis, ſacroſquè ordire labores.
Dixerat, ingenuumq; fovens ſuper ora tumorem
Riſit, & inſvetis accendit lumina flammis.
Olli purpureos ſubmiſit ad oſcula vultus
Mater, & hærentem blandis circumdedit ulnis.
Tum pictas humeris veſtes, capitiquè coronam
Ipſa locat, pingviquè comam deducit amomo.
Et motus, greſſumquè docet, iuſſoſquè frequentat
In puero laudans mores, mulcetquè ſcientem.
At Pudor in niveas effuſo ſanguine malas
Virgineam incendit faciem, ciliiquè ſerenos
Adcomit nutus, & apertæ frontis honorem
Explicat, inde ſuo tranſlata monilia collo
Appendit. dulci laſſatur pondere cervix,
Et picturatos torques adverberat artus.
Nec minùs & Choreæ, laxæ modo tegmina pallæ
Subſtringunt zonis, teretis modo dente pyropi
Vela, Cythæreaſquè vetant deſcendere veſtes.
Lætitiæ retro circumplaudentibus alis
Auricomum rapiunt agmen, vexantq; modeſto
Pectine; ceu Boreæ cum debellatus amicis
Africus irrupit campis; non amplius udo
Imbre gravis penniſquè ſonans, adſibilat herbis
Blandius, & teneros depectit flatibus agros.

Hæc

Hæc facilis læto proſpectans Gratia viſu
Diſcebat ſacros habitus, arteſquè notabat;
Quo veſtem laxare ſinu, quas ſcribere rugas
Veſtibus, intonſum quo derivare cacumen
Deſcenſu, pallam quo circumflectere gyro,
Quo deceat nodo laxos revocare capillos.
Sic (ait) egregiam feſtivo tempóre nuptam
Hac ornabo manu: ſic demigrante capillo
Æquatos humeros, alternaq; brachia ſpargam:
Sic interpoſito plaudam devexa monili
Pectora: ſic imo cingam veſtigia lymbo.
Interea ſacra properans Hymenæus ab arce
It notam viſurus humum; quà Vilna futuræ
Lucis adornabat genialibus orgia feſtis.
Adſiliunt famuli, niveiſquè tapetibus altos
Inſternunt properè currus, flavoſquè jugales
Lora ſubire jubent. tum ditibus aurea frænis
Cingula, lucenteſquè trahunt per tergora zonas.
Accurrunt comites Choreæ, Moreſquè, Decorquè
Lætitiæ faciles, & amœno Gaudia vultu,
Gratia, facundiq; Sales, & denſa Pudorum
Agmina. multa quidem properabat turba locorum
Sidereis hæſura rotis, ſed ſeligit omni
Ex numero paucos Hymen; reliquoſquè ſeveris
Nutibus, & ſummæ depellit verbere virgæ.
Tum verò ſeſe ſupremi vertice currus
Collocat, & volucrum curſus moderatur equorum.
Illicet ut Litavas nemoroſa per avia valles
Conſpexit, lætiquè nitentia tecta Slonimi,
Omne Deum vocale nemus circumſalit, omnes
Alituûm latè circumplaufère catervæ.
Tum verò liquidi queſtus, aviumquè canora
Prælia demulcent auras, brumaquè ſtatutum

Carmen & argutis reſonant convitia ſylvis.
Hic deſolatas affantur acanthides ornos,
Hic Pandioniæ volucres, nemorumquè magiſtræ
Dauliades mœſtas ſolantur murmure pinus.
Alterniſquè canunt, montes, freta, nubila, valles:
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades ô Hymenæe.
Donec ad optatam Zephyris velocior aulam
Appulit. arriſere fores, arriſit ovanti
Ipſe locus, madidiquè ſacro nidore penates.
Ingreditur prior ipſe domum; tum cuncta ſereno
Irradiat viſu, tectiſquè potentis alumnæ
Prodigus æthereum latè diſpenſat honorem.
Amplius & tignis radiat iubar, amplior ædem
Sol habitat, tenuiquè affligens lumina vitro
Aurea ludentem iacit in laquearia flammam.
Sublimis ſolio PUDOR imperat. aurea iuxta
Lilia, TRIZNIACÆ florentia LILIA ſtirpis,
Quæ triplici quondam mater Concordia nodo
Nexuerat, caſtis demandat dona maritis.
Accurrunt CHOREÆ celeres, latequè pudico
Flore pavimentum ſternunt, aut agmine facto
Pulverulenta cavis everrunt nubila pennis.
Ipſa manu tenera formoſos GRATIA poſtes
Pingit, & Elyſiis inſcribit limina ſuccis.
Tecta Sales obeunt, & amicæ cornua menſæ
Compoſitis cinxêre choris; at ſana Voluptas
Facundos ſedet ad cyathos & ſobria vina
Temperat, affuſâquè iubet manſveſcere lymphâ.
LÆTITIÆ diverſa tenent. pars occupat altas
Aſcenſu ſedes; ubi plumbeus ordo feneſtras
Colligit, & lucem per aperta palatia vibrat:
Pars picturatis lucentia texta trichoris
Incerta rapuêre manu: pars limina ſervant.

Sie

Sic ubi nectarei populatæ germina floris
Artifices mellis per Hymettia rura catervæ
Delatæ Zephyris patrios ſubiere penates
Denſentur reduces. illæ natale pererrant
Hoſpitium, pingveſquè domos: hæ patria fidis
Tecta fovent cuneis: illæ præſepia cari
Liminis, & vigili portam ſtatione tuentur.



IN NUPTIIS

JOANNIS RAKOWSKI

FILII CASTELLANI VISNENSIS

cum

CATHARINA EUGENIA

TYSZKIEWICIA

Filia

JANUSSII SKUMIN

TYSZKIEWICZ

NOTARII M. D. LITVANIÆ.

A. MDCXX.

CARMEN

AD PARENTEM SPONSÆ.

O VIR Avis atavisq; potens, quem neſcia virtus
Funeris, in mediis ſublimem laudibus altum
Tyskieviciadum generi dedit: inclyte geſtis,
Inclyte conſilio; ſeu cum Mavortia bello
Caſtra calent, ſeu cum placidam Pax criſpat olivam.
Te Moſchus validam ducentem ad ſigna cohortem
Fulmi-

Fulminea metuendum hallà, ferroq; potenti
Vidit, & ingemuit. Te perfidia Svecia Regi
Dum negat aſſenſus Hæredi, obſtatquè furendo
Senſit Janussum: ſenſit præſtantibus armis
Skuminidæ virtus quantas daret ignea clades.
Cum jugulum peterent civilia prælia Regni,
Triſtis & infauſtas ſereret Diſcordia flammas,
Cognatæquè acies, victrici, in viſcera, quondam
Corruerent dextra; quantum Sapientia doctis
Nata ſcholis, ſemperquè libris nutrita legendis
Poſſet, ſangvineis audax concurrere ſiccis.
Scit Sigiſmundus, ſcit magni curia Regis,
Agnovit fidamquè manum, mentemquè benignam,
Ponere non timidam patriæ pro nomine pectus.
Triginta teſtes anni, quos Regia vidit,
Dura laboratæ tolerantes munera vitæ.
Et reor, exhauſtos numerabis grata labores
Patria, cultoremquè tuum, converſa, benigno
Reſpicies oculo. vel ubi fera ruperit annos
Atropos, & ſcindet maturæ fila ſenectæ,
Poſthuma fama viri dicet per Lechica regna,
Perquè oras Litalas, virtutem, & digna labore
Præmia. nunc autem conſvetus Apollo ſeveras
Explodat curas, & fractos leniat annos,
Leniat, & claro veniens de ſangvine natæ
Eugeniæ virtus, quam nunc Rakovius heros
Clarus avis, clarus Muſis, & nomine clarus,
Jungere & unanimi gaudet concurrere dextrâ.
Aſpirate poli cœptis, Caſtorq; benignis
Provehat auſpiciis, & amico rideat aſtro.
Hoc tibi noſtra domus, genitorq; precatur amico
Joannes, Janusse animo: concordia felix
Rakovio Eugeniam ſociet, ſit dextera conſtans,
Certaq; ſperatæ promittat fœdera pacis.

POEMA

POEMA AD NEOSPONSOS.

Concordes animos; & amicæ fortia pacis
Fædera, concordi Muſa cano. Dirige vocem
Melpomene, placidoquè fave Concordia vultu.
Eſt locus: aurati quem cingunt undiquè ſoles
Innubeſquè micant luces; hunc nulla ſevero
Turbat hyems flatu, diſcordia iurgia nullæ
Thraces agunt animæ; namq; umbris mollibus iſtic
Invitata ſuam fixit Concordia ſedem.
Florida planities Zephyro contenta colono
Fundit opes virides, & amæni gaudia campi
Provocat: indulget grati clementia veris,
Largaquè diſperſos mentitur Flora colores.
At nemus & lætis ſylvarum ſcena theatris
Circuit egregio defixa palatia campo.
Hic volucres cantu noctemquè diemquè fatigant
Inclinante umbra; qua frondibus arbor opacis,
Hoſpitium certat ſociare, tumentquè virentes
Lætitiâ ſylvæ, nimiumq; rigeſcere ſolem
Præcipiunt, frangantq; Æſtatem, obſtantq; calori.
At Bellum (tetrico diſcors in carcere Bellum
Induit invito victricia vincula collo)
Sangvineos torquens oculos, nunc increpat haſtam
Jam pigram, & nullum ſpirantia cornua Martem,
Jam gemit & vacuâ reſpectat in aera dextrâ.

Illi torva oculos pansis Audacia dextris
Assidet, Impietasquè suo satiata cruore,
Et Dolor, & Parthis Vindicta armata sagittis.
Hic variis discreta locis, discreta figuris
Signa solent rerum, levitas quibus adjacet, auras
Vertice respiciunt: gravitas quas deprimit, imæ
Ima petunt: pariter junguntur & humida siccis,
Mixtaquè simplicibus. Tali sedet aurea tecto
Lætaquè florentes Concordia temperat annos.
At domus interior, fervet coëuntibus extra
Agminibus, strictumquè Deas vix explicat æquor.
Hîc lætæ Charites, & Oreades, albaquè vultum
Gratia, prætendit dextrà felicis olivæ
Pignora, dilectæ signum lætabile Pacis.
At circum Plansus & honesta fronte Choreæ,
Lætitiæquè leves, & mulcens Musica sylvas
Cantibus, & solitæ nescire silentia chordæ, (ces
Garrula plectra sonant, cytharæquè per arva loqua-
Crispato carmen nemori sylvisquè loqvuntur.
Et Lusus, castiquè Sales, immixta locisquè
Gaudia; (flat Zephyris invecta faventibus æstas)
Consociant hilares per amæna palatia gressus.
Omnibus ex oculis spirat pudor: omnibus almâ
Lætitiâ frons alta tumet, sertisquè pudicis
Sydereoquè virent enodes vere capilli.
Hîc hilares luces & nullo turbida limo
Gaudia prorumpunt: maculari casta nigranti
Nescit fæce dies: Dominos Concordia nutus
Temperat, & niveas decurrere præcipit horas.
Exultant comites, & vitâ Nestora serum
Præcurrunt, casumq; premunt, sortemq; malignam.
Nunc choreis, nunc illa jocis, plebs mollis amorum
Indulget, querulosquè procul jubet ire dolores.
Hîc ut forte suum cursu præverterat agmen

Lætitia, auratis credebat murmura ſylvis,
Et teneras avium pronâ bibit aure querelas.
Interea Rumor Litavis dilapſus ab oris
Pictus acu chlamydem, vigilantia lumina torquens
Mentituſquè Argum, celeri juga florida curſu
Prævolat, & reſonum diſpenſat in aera murmur
Lætitiam ære vocans, & honeſti Gaudia vultus.
Illa volat ſuccincta togam: diſperſa capillos,
Conſtitit: obſervat voces, juga corripit, auras
Explorat; quis Miſenus, quis mulceat aures?
Ecce iterum Rumor ſponſalia læta canebat
Eugeniæ Tyszkiewiciæ, clariquè Joannis
Rakowski, lætus ſonſalia læta canebat.
Excipiunt ſaltus, & ſylva remurmurat ingens
Voce laceſſita, & valido clamore vocata,
Reddidit extemplo mutilis ſe vocibus Echo,
Echo, quæ reſonis ducit ſub vallibus ævum
Gramineo dotata thoro, fingitquè per auras
Reſponſa & voces fallax imitatur heriles,
Trunca labris, confuſa oculos & vertice trunca.
Ergo dum Rumor ſponſalia læta canebat
Eugeniæ Tiszkieviciæ, ſponſalia; reddit
Hæc: alia: & certat magis importuna ſceleſto
Murmure: ſic illam vulgum docuiſſe ferebant,
Invidiamquè trucem; lætis quæ tabida rebus
Corde ſuo ſaturata rubet. ſponſalia Rumor
Reppetit. Echo aliam magis importuna canebat.
  Ecce autem valleſquè inter, ſylvamq; profundam
Arboream & plebem Crux ſe Regina ferebat,
Inſignem criſpata comam, criſpata coronam
Sydeream, te Echo quærens te pulvere toto
Vociferans. fugit, ex oculis, fugit avolat Echo.
Avolat, & vinctis equitat per cærula Cauris.
Parte aliâ dum forte feras, turbamquè coercet

Villo-

Villoſam, & prædas aſtris ſcrutatur amicis,
Audiit, & mutilas mirata eſt Luna querelas.
Cervabus volat ergo ſuis invecta per umbras
Arboreas, te Echo quærens; nec repperit ullum
Auctorem vocis. poſtquam tamen illa vocata,
(Neſcia frenatam religare in vincula vocem)
Prodidit, inſidiaſquè loci vox ægra retexit;
Sic indignanti Crux, Lunaquè detonat ore:
Quis te tam falſis ſylvis diſpergere voces
Invida, cæca Echo, dirum quis fingere murmur
Diſcipulam docuit? Sponſalia læta Rakowski
Eugeniæ Tiskiewiciæ Cruce & auſpice Luna,
Jam ſecurus obit, jam parta Virgine gaudet,
Tune pares turbare animos, turbare petitum
Fædus & optatæ confinia rumpere pacis
Niteris? & falſâ ſic ludis imagine vocis?
Credo tibi ſopitus amor, ſuppreſſaquè flamma?
Narciſſi tibi vivit amor, nec flamma quievit!
Cede ferox ſylvis, vocem preme, viſito ventos.
Hoc nemorum præfecta tibi, Reginaquè ſaltus.
Lunaquè, Cruxquè, jubent, & certas nunciat iras.
Dixerat illa leves perterrita ceſſit in auras.
Jam minor atquè minor, dominiſq; exterrita verbis
Alba genas, antrum Nihili crudele petivit.
Et jam nox piceis invecta per aera pennis
(Urget enim ſenium laſſi ſub fine diei)
Nigra comam, pullata togam, ſtellataq; vultum,
Multivagas picto disjiecerat æthere ſtellas.
Stabat, & in viridi demerſerat æquore plantam
(Tantus amor ſpectare polum pictumq; decoris
Syderibus campum) cupido Concordia vultu
Sydereas viſura faces, igneſq; minores.
Stant circum natæ volucres, & Gratia triplex
Cincta comam lauro, Tyrioq; coruſca ſub oſtro,
Et

Et Jocus, & tenero florentia Gaudia vultu,
Atquè hic quod certo Rumor diſperſerat ore,
Lætitia auditum repetebat in agmine murmur,
Disjectamquè Echo, ſylviſquè valere relictis
Extorrem Nihili trepidantia tecta ſubiſſe.
Hæret inaſpectu cunctis polus, omnibus aſtra
Abripiunt oculos: Concordia at ipſa canebat
Ut crudele chaos, formidatiſquè tenebris
Armatum Nihilum valido Sapientia motu
Diſpulit: ut mediis Ordo proceſſit ab undis,
Impiger ad nutus: ut pulchro ſydera gyro
Ingenteſquè poli ſteterunt ſermone vocati,
Primaquè naſcentis ſota eſt Infantia mundi.
Et ſimul illimem per gemmea jugera Pontum
Qui vitreis laſcivit aquis, & in æthere ludit
Erydanum, digito monſtrat ſociabus amico.
En Tiszkiewicii decus immortale coruſcat
Sangvinis (adloquitur) nunquam bonus ille ſitire
Ardet, ut æſtivi latrator Syrius aſtri
Edidicit: reprimit ſolem, ſæcundus amæno
Gurgite ſolatur campos, ſanatquè peruſta
Gramina, & innumero gemmarum pondere gaudet.
  Quin etiam tacito rutilantia lilia campo
Proſpicit Eliſii. ſalvete (exclamat) amico
Lilia digna polo, ſuperis bene lilia digna,
Paciadum gentis: cedunt nunc illa Rakowſki.
Non Pæſti fætus, nec vos brevis educat hortus
Heſperidum. vos prata poli, vos candida comunt
Gaudia, digna polo, cœlo bene lilia digna.
  Interea claro figunt dum lumina cœlo
Et vaga purpureis ſcintillant ſydera ſignis;
(Mira cano) totus lætis concentibus æther
Miſcetur, plaudit polus, & ſtellantia ovanti
Agmina vertuntur gyro, plauſuſquè frequentant?

Ipſaſq;

Ipſaquè iam feſtas meditatur Luna choreas,
Nunc quaſſans cornu auratum, ſe reprimit, atquè
Cunctantem vetat ire pedem, modo gaudia rurſus
Abripiunt, volat ergo celer diffuſaquè plauſu,
Lumen agit latè, totoquè extenditur ingens
Aere, formoſumquè rotat per ſydera cornu.
Evigilant campi, ſurgit nemus, altaquè Divam
Æquora mirantur, Dominam quæ gaudia noctis
Præcipitent? quæ cauſa vocet geminare choreas?
Aſt alia de parte Cruces per ſydera ternæ
Diſcurrunt ducibus ſtellis, placidoquè triumphant
Agmine, & innubem nox provocat æmula ſolem.
Expectant comites Divæ, cupidæq; requirunt
Eventum, nequeuntquè expleri tanta tuendo.
Sic ubi præcipiti dubium certamine campum
Corripuêre acies, & ahenis bellica ſignis
Tempeſtas, dubiuſq; volas Gradive per æquor,
Quæ ſpectatores oculos quæ gaudia paſcunt!
Arrectæ pendent ſpes, exultantiaquè haurit
Corda labor; ſic Lunam illæ videre volantem.
Ecce autem ſtellæ concordes lucida jungunt
Agmina, conviſitquè ſuas tres una ſorores:
Excipiunt ſeſe faciles, tacitoquè ſalutant
Murmure. tum mediis circumnitet annulus aſtris
(Agnovit preſſitq; piam Concordia fraudem)
Sydereis nitidus radiis, ingenſquè ſuperbit
Athere majeſtas: rata Luna niteſcere Fratrem
Advolat, & cornu ſumma de parte pependit.
Huc etiam coïere cruces, coïere quaterna
Sydera & ingentem ſenſit polus omnis honorem
Diffundi, mediumq; actis Phaetonta tenebris
Fulgere, tum tenerâ plauſit Concordia palmâ
Et roſeas diffuſa genas, ſic aſtra laceſſit.

Eſtis io ſuperi quando! concordia cerno
Sydera, concordem Lunamquè Cruceſq; benignò
Ire polo! unde Cruces? cöeunt, quo ſydera motu?
(Excipiunt comites) quid pulchro Cynthia vultu
Quid notat? ô mater cupidas ne ludito mentes.
Annuit, & placidis retegit Concordia dictis:
Crux hæc terna (notat digito) quæ luce ſerena
Purpurat, hæc clari clariſſima ſtemmata geſtat
Rakovii generis; cujus de ſtirpe Joannes
Quantus! quantus adhuc primo vel flore juventæ!
Quas non ille plagas, quas non penetravit ad oras
Igneus, ut magno diſperſam prendere mundo
Aurea te canis poſſet Sapientia curis.
Pariſiæ videre Deæ, Germania vidit
Ingenium juvenis felix, altæquè benignam
Temperiem mentis, tuq; incylte gloria magni
Wladislae Patris (cujus memorabile robur
Moſchus & attoniti vidit domus alta Smolenſci,
Quantus equis, quantuſq; armis, quantuſq; per arva
Magnanimo validum ſpirares robore Martem)
Spectaſti Princeps, quantas natura Joanni
Ingenii conceſſit opes, & quantus Apollo
Mente ſedet, qualis decurrit lactea linguæ
Copia, permulcens, bellatoremq; tumultum
Excutiens, frangenſquè minas pro Principe caro
Explicitum mediis pectus ſacrare pericl is,
Herculeum pectus, doctum calcare timores.
Regius hunc dignatus Amor, dignatus Honorquè,
Lechiacos inter proceres ad magna vocatum
Munera, ſublimi conſiſtere juſſit in aula.
Ecquid Adalbertum tento memorare Parentem?
Plocia ſcit, pangentq; ſuas per ſæcula laudes,
Plociades Nimphæ, quà Viſtula lympidus agros

Perla-

Perlavat. his clarus vivit Capitaneus oris
Neſcius in mortem; ſcit Viſna, gemitq; Parentem
Abreptum (quantum tetricæ violentia Clothùs
Sæva poteſt) gemit abreptum, ſed nulla preeſſe
Sæcla tuæ poterunt pie Caſtellanee famæ:
O quantum Regi Charus, tibi patria quantum!
Quid Sophiæ matris retegam genus, altaq; gentis
Lumina Paciadum? percurrit gloria terras
Nicolei, & ſnperos rimatur adire Penates.
Illum Italæ gentes, illum Polonia dicet.
Paſtoremquè ſuum dives Samogitia dicet.
Et Petrum ſua laus ornat, gratæquè Camenæ
Ingeniumquè viri: clamant & Martia bello
Dextera, Kircholmi tumuli, plaga Livonis armis
Territa, Religioquè pios experta favores;
Candida quæ Divi ſurgit de nomine Marci,
Haud ingrata polo. tali Rakovius heros
Majorum virtute nitet, ſemperquè nitebit.
Atq; hic plura loqui Concordia læta parabat,
Gratia ſed rupit: dic, inquit, origine Mater
A prima, quid Luna notat quid prævia ſtella?
Excipit illa: cavum quæ Cynthia ſuſtinet orbem
Sangvinis eſt Tiszkievicii decus, inclyta terræ
Gloria Littalicæ, virgo quo ſanguine ſurgit
Nobilis, Eugeniam ſic illam nomine ſignant.
Illam forma decens & honeſti purpura vultus
Pingit, & ipſe pudor collum præcingit eburnum.
Virginitas oculis, & toto prodita lucet
Corpore, virgineuſquè Metus, ſolituſquè timere
Cuncta Pudor, ſic juſſa humilem proba palpebra ter-
Deſignat, Mater proſpectat plurima vultu (ram
Quod ſtupeas (rarum hoc) formæ concordia magna,
Magna Pudicitiæ, nativam credo Dianam

Æmula conſequitur. Fauſto ſed prodidit ortu
Eugeniam, Litalis clarus JANUSSIUS oris.
Virgo Parente tuo gaude, quem Regia triplex
Tergemini Regis ſenſit, coluitquè fidelem.
Ille repentino tuba ſeu Mavortia cantu
Provocet in campos, & ahenus prælia Ductor
Diſſipet, æratum doctus volitare per agmen,
Arma per, ancipites gladios, & hiantia tela,
Sanguineaſq; neces & aperta cadavera fidum
Sternere equum, manibusq; manum, pedibuſq; pe-
Figere, & everſâ decedere victor arena. (demq;
Palladium ſeu prendat opus, ſacretquè Camænis
Otia, prudentes nocturna Silentia Curas
Advertere libros Domino, niveamq; papyrum
Atq; habiles calamos greſſu celerante ferentes.
Divitias fandi ſcrutatur, & ore diſerto
Ingenii diſpenſat opes, tacitaſq; per umbras
Ventilat exortas mitis Prudentia cauſas.
Hic nunc Litalica cum laude Notarius ora,
Quàm bene victuris commendat nomina chartis
Et calcaturus cineres, & præpete Famæ
Remigio, meritus ſuperas naturus ad arces.
Euge beate ſenex, ſæclis victure futuris,
Invidiâ major, nec fato ſubditus ulli,
Litalico clarus cælo, claruſq; Polono,
Exige Neſtoreos Fatis ridentibus annos:
Cum Naruſevicio, quem nunc Reſpublica claro
(Maternum unde genus natæ) præfecit honori.
Atquè ubi depinxit ſeriem turbæquè retexit
Unde Cruces veniant, quo Præſide Cynthia conſtet
Reſpiciens cœlum ſic altâ voce precatur:
Vivite concordes animæ, domus utraq; ſorte
Conſociata pari virides ad ſydera laudes

Efferat, egregii Patriæq; Deoq; labores
Feſtinent famam æternam, memoreſq; triumphos
Magnanimo generi atquè pio. Ilicet Echo
Reddit Io, polus addit Io, nemus aſſonat Io.
Hæc ſuper increpuit lætis Concordia ſignis
Suſcitat & reſides ad carmina Muſica chordas

IN NUPTIIS
ALBERTI DUCIS RADIVILII
cum
ANNA ZENOVICIA
IDYLLION.
A. MDCXXVIII.

AT non ignavæ ſopitîs cantibûs ultra
Otia ament chordæ, nequè inertia fila canoræ.
Muteſcant citharæ; feſto ſed pollice Pæan
Ducat ebur, placido reſides & pectine nervos
Ad nova plaudentis moduletur gaudia Vilnæ.
Jamquè redux ab agris & fertilis ubere glebæ
Autumnus Litavas dives deſcendit in urbes
Munera lætitiamquè gerens: hunc grandibus Ales
Armiger ipſe levat pennis, & læva corymbis
Lora ciet. liquidas volucri quocunq; per auras
Volvuntur ſuper axe rotæ, fremit ebria toto
Terra procul vino, ripaſq; egreſſus Jacchus
Ad ſua mirantes invitat pocula Nymphas.
Jam Pater herboſæ recubat qui margine ripæ
Vilia cyaneum ſummâ caput extullit undâ,
Cæruleamquè vocat plebem. ruit undiquè glaucus
Ad Patris mandata Chorus. pars dulcia dicunt
Carmina, pars liquidos ad ſaxa ſonantia fluctus

Allidunt gnari, miſcentq; ſon ¹tibus auras,
Pars hilares ducunt gyros, proniſq; caducas
Verticibus rapiunt lymphas plauduntq; Choreas.
O merito! quis enim tacito non pectora ſenſu
Mulceat, & triſtes animi non eluat æſtus,
Cùm nova ſe totis facies indulget ab oris
Lætitiæ, multuſquè ruit per tecta, per urbem,
Splendor, & hoſpitiis ſeſe dignantur Honores,
Ingenteſquè atavis & celſi nomine faſces
Littalidûm latè Jagelonia limina denſant.
Quis globus ô Muſæ tanta ſe mole per urbem
Magnanimûm Heroum diffundit, & hoſpita magnis
Tecta oculis metitur? an hæc ſunt illa virorum
Concilia; Elæo cùm victrix pulvere ludos
Buccina perſonuit, ſolitoſq; induxit Achivis
Certatus? quorum nondum piger alligat artus
Sangvis, & ingenuo regnant ſub pectore vires;
Quoſq; ciet magnorum operum ſibi conſcia virtus
Conveniunt, pulchrâq; audent pro laude periclis
Dignari ſeſe. At non hic pugnacia cano
Pulvere preſſa ardent veſtigia: nulla futuris
Curſibus optatas attolit Gloria palmas,
Nullaq; ſollicitas exſpectat meta quadrigas.
Aſt aliis Radivillus Hymen certatibus ultro,
Inſtituit metas, alias nunc ducere pompas
Apparat, atq; alio metam contingere plauſu:
Ite pares Animæ, pactis incurrite metis
Unanimes, pulchroq; avidi indulgete labori.
Addite vos lata in ſpacia, & ſuper excita campi
Æquora, quò clamatus Hymen, quò pactus adurget
Ardor, & ambitam dextris invadite palmam.
Omnia fauſta ferunt Superi. favet hoſpita vobis
Heroum cavea, & ſtudiis pia vota ſecundis
Affirmit, externis hilares funduntur ab oris

Magnanimiq; Duces, & purpura ſangvine florens.
Ite alacres Sponſi: Patriæ vos lumina viſu
Obſervant, animiſq; favent, plauſuq; ſequuntur.
Hic melior vobis Elæo pulvere campus,
Pulchrior hic feſſos ſudor decurrit in artus,
Et magis adducunt trepidum ſuſpiria pectus.
Hîc & anhelantis laus eſt producere cordis
Ardentes gemitus, laſſaſq; labore medullas
Excoquere, & caras nativo murice malas
Pingere. Felices animæ, felicia certè
Bella fatigatis. ſed ad hæc quis Olympia plectro
Aonio fretus, citharâq; effultus eburnâ
Pindarus accedet? tantos qui carmine ludos
Invideat morti, meritoq; attollat honore
Secla per, & cani non emorientia mundi
Tempora. nam ſacro quos hic cantaverat ore
Æthereâ ſublatus olor Cadmëjus aurâ,
Non illos ingrata dies memori eximet ævo.
Vivent, ac clarum ſolui metuentibus alis
Gloria nomen aget. quantam ò nunc ille canendi
Spectaret ſegetem, quando Radivillius inde,
Inde ſuo ſtaret præluſtris ſanguine Virgo
Zenowias? quanto nunc ille Iſmenius ales
Dedignatus humum, ſuperaſq; ablatus in auras
Dux Radivile tuas memoraret carmine laudes,
Atq; retro præluſtre genus, famamq; caduco
Tempore majorem. qualis pulcherrimus aſtris
Lucifer, auratas cùm prævius ante choreas
Stellarum, roſeo crines circumlitus oſtro
Fulgurat, & longè flammarum prodigus ardet;
Continuò cedunt humiles ex ordine ſtellæ,
Atquè verecundas ſubmittunt ſidera flammas,
Ille micat largoq; humectat lumine cælum:
Purpureos vultus tacitus miratur Olympus.
Sic

Sic ubi Sarmatico diffudit lumina cælo
Par Superis ſanguis Radivillus, & avia longè
Heroi lucem generis per regna refudit,
Omnis adorantes ſubmittit gloria vultus,
Atq; graves rerum titulos, momentaq; honorum
E Radivillorum metitur provida fatis.
Hæc Domus eſt, quâ nixa ſalus nutantis ab imo
Surrexit Patriæ, virideſq; evenit in annos
Pulchrior. hinc ſenii triſtes exuta tenebras
Littalia occiduum revocat jubar, altior aſpris
Caſibus, invidiâq; nigri ſublimior Orci.
Ac veluti roſeus quoties ſuper æthera Titan
Molitur reduces currus, cum languida ſentit
Alipedum ſolitis viduari pectora flammis
Caſtalios repetit fontes, aut dulcia glaucæ
Doridos antra ſubit, notiſq; immergitur undis,
Unde novo cupidis terris vireſcat in igni.
Sic ubi jam triſtes lugens Lithvania noctes
Occaſuſq; ſuos pallenti ſæpe videbat
Lumine, mox Radivillorum confugit ad amnes
Sanguineos. hoc ſe quoties demerſit in alveo,
Denſa licet Scythicis tempeſtas ſurgeret Euris,
Atq; cruentatæ incæſtarent æthera Lunæ
Threiciis ſævæ furiis, licet horrida toto
Frigore Barbaricis rabies bacchetur ab oris,
Altiùs evexit caput, & crudelia Martis
Imperturbato riſit diſcrimina vultu.
Hoc Litavi Alcidæ venerunt ſanguine feſſis
Jam patriæ rebus, qui non Symplegadas arcu,
Ingenio quondam fabricata pericula vatum,
Dejicerent, variis neq; torta volumina gyris,
Sibilaq; ora levi dextrâ preſſere, vel hydram
Mortibus armatam centum per pigra paludis
Extendêre vada, & notas merſêre ſub umbras.

Aſt

Aſt alias reperit Virtus RADIVILIA peſtes,
Immaneſq; Erebi volucres, quaſtriſtis Erinnys
Educat, in fraudeſquè animat; quêis toruus in ore
Horreſcit terror, vivunt pro ſanguine flammæ,
Mens cæcis obtorta dolis, jurataquè magnæ
Lechiæ in exitium; ni ſe RADIVILLIA, tantas
Fatalis Virtus dextrâ ſubvertere peſtes,
Opponat, patriisquè procul de finibus auſus
Arceat infames; quoties immanis ab Arcto
Tempeſtas ierat Moſchi, terraſq; colonoſq;
Et viduas factura urbes, ſoloſq; Penates:
Ni vigil ad tantas Ales RADIVILLIA clades
Ingentis non parca animæ gentilibus armis
Surgeret & ſeſe numeroſo opponeret hoſti.
Atq; adeo jam nunc volucri labentia cœlo
Sæcula, perpetuiquè Anni, quos educat Ævum
Obſcura in rerum ſpecula, tortoq; Draconis
Immenſi ſupraq; infraq; volumine gyrat,
Huc vigiles oculos, atquè indeflexa ſopore
Lumina ferte precor, quidquid videre per orbem
Virtutis tranſacta retro jam ſæcula, quid quid
Poſtera venturo cernetis tempora mundo
Jam RADIVILLORUM perfectum ſanguine abunde eſt.
Hoc Decios ſibi Roma ſuos é ſanguine vellet:
Curtius hinc genitus pallentes fortiùs iſſet
In foveas funeſta ſacer diſcrimina mæſtæ
Italiæ aſportans. Fabîas hac ſtirpe cohortes
Cenſeret Romana ſalus felicius olim,
Ni melior fatis ſibi demeruiſſet Olympum
Lechia, Romuleæq; decus præverteret urbis.
Quis decora alta virûm numeroſa per atria mente
Perlegat, & quanti fulgentia tempora tollant
Palladiis cincti foliis, queis ipſa perennem
Indulſit natura undam ſermonis, & alti

Consilii robur, quoties defecta vocaret
Patria præsidium: quot sunt quibus aurea prono
Laurea de cælo munus pietatis avitæ
Descendit, sacroquè comas deduxit in ostro?
Quot galeis armata gerunt cava tempora Martis
Armipotens sanguis, belloquè haud frigida proles?
Sed mihi jam radiis oculos præstringit acutis,
Nescio quis Tyrio totus flammatus in ostro
Egregius forma juvenis cristisquè decorus,
Lux Radivillorum, generis sublime trophæum.
Agmine quem denso latè comitantur Honores,
Atquè pares geminant Mavortia classica Laudes.
Aureus impavido vigilat pro pectore thorax
Artifici magnæ cœlatus imagine pugnæ:
Sanguinis & Suisci nudo sitis ardet in ense.
Tantus erat ferro, tantum Patris instar in illo est.
Hos olim validâ dum fundunt millia dextrâ
Infidosquè metunt Modocas, Livonesq; Gelonosq;,
Et refugos in bella Scythas, mirata calorem
Gloria, mansuris florentia nomina ceris
Addidit, & canos ævi transmisit in annos.
Ast ego quid tantas deduco carmine laudes,
Divinasquè animas angusto pectore verso,
Queis brevis est orbis, quos non capit axis utroq;
Margine, quæ regio Radivillæ haud conscia famæ
Atq; adeo jam nunc tantas Lithvania tædas (est?
Ventilat, & fausto connivent sidera nutu,
Unde pares abavis surgant in regna nepotes.
Hinc etenim niveâ promittit fædera dextrâ
Inquè manum Radivilliadæ Zenovia cedit
Virgo, quas gemino ducet de sanguine vires
Posteritas! quoties hinc magni Patris avita
Incendet natos Virtus. hinc Gloria Matris,
Cui similis de Marte gradus, veteriquè decora

Flore-

Floreſcit virtute Domus: nec magna Senatus
Lumina defuerint, & celſis ſtemmata ceris.
Hinc fortes ſibi bella Duces, hinc Curia faſces
Atquè Palatinas ſumebat Fama curules. (pus
Nunc ſatis eſt, hunc namq; diem tibi ducit Olym-
Lux RADIVILLIADUM, veſtras Lithvania tædas
Ventilat Auroramque probat, quæ clara nepotum
Aſtra Palæmoniis infundat finibus olim.
Nunc igitur fauſti aſpectant dum fœdera Divi
Pronaque clementi conſpirant ſidera nutu,
Perpetuos ſervate thoros, quos æmula proles
Illuſtret, longumquè ferat rediviva per ævum
Nomen avis, ataviſq; potens, quæ Martia juſſis
Caſtra regat, ſciat & leges imponere paci:
Quam repetat ſupplex in avitos Purpura faſces
Quæ RADIVILLIADAS animoſa mente Leones
Imperioquè Lechiſq; ferat, quæ grandibus orſis
Te quoquè viventem memores extendat in annos.
Sic ruat Heroæ RADIVILLA licentia linguæ
Quæ regat & dictis populos, & voce Senatum.
Tu quoque Littalidûm longè pulcherrima Virgo
Lux Zenoviciadûm, tanto poſſeſſa marito
Æterna videas celebrari laude nepotes.
Utquè verecundo conſurgit Cynthia vultu
Nocturnas prævecta faces, vulguſquè ſerenum
Stellarum gaudens denſo percenſet Olympo:
Sic RADIVILLIACAS diffunde per æthera ſtellas
Et Patriæ effundas numeroſo examine lucem.
Perſeus ultrices hinc ſtringat acinacis iras,
In Patriæ peſtes: hoc ſanguine cretus Orion
Altius ottollat capulum; ſic ſidera ſpondent.

FRA-

FRAGMENTUM
LIBRI UNDECIMI LECHIADOS. (a)

AUrea jam rutili tacito rota murmure ſolis
Virgineo delapſa ſinu, pendentia Libræ
Brachia librabat volucris, pulchrumq; bilancem
Incurvabat onus. taciturnæ munere pacis
Gaudet uterq; Ducum: Lechꝰ propria agmina campo
Exercet medio, rigidiq; per otia Martis
Inſtruit

(a) *De* Lechiade *Mathiæ Sarbievii, in qua ille adventum Lechi in Poloniam, varios prœliorum exitus jacta Reipublicæ fundamenta eleganti carmine deſcripſit; conſtat tum ex vita Auctoris edita Lipſiæ à Clariſſimo viro* Langbeinio, *tum ex ipſiuſmet Sarbievii epiſtolis ad* Stanislaum Łubieńſki *Antiſtitem Plocenſem, quas infra appoſuimus. Cæterum Poema hoc in duodecim libros adinſtar Æneidos diviſum, pluribus antiquitatis monumentis refertum, ac non Pòëſeos tantum, ſed Hiſtoriæ etiam patriæ amatoribus perutile, injuriâ temporum interiit. Fragmentum tamen hoc, quod publici juris facimus, repertum eſt in Bibliotheca Domus Profeſſæ Vilnenſis* Societ: JESU.

Inſtruit haud ſegnes animos, ruit undiq; ab urbe
Certatim, campumq; tenet clypeata juventus.
Sole novo juvenes bellorum fulmina, latè
Exercentur equis. pars acres tendere nervos
Ardet & exilem telis deprêndere metam:
Cætera præfixus quà convocat annulus, haſtas
Dirigit, & medio ſtudet incurvare lacertos
Pulvere, quadrupedis celeri pede concita pubes.
Talibus illuſtres animi dum Regia factis
Juſſa probant; crudo intereà ſub pectore *Biſton*
Ingemit, & triſtis medica deluſus ab arte
Incuſat tardos ſoles, lunaſquè remiſſo
Ire gradu, & magno ſegnes incedere cælo.
Auxilioquè viam, fieret quæ proxima, poſcit.
Aut ſecet enſis (ait) ſtricto mea pectora ferro,
Aut liceat laceras renovare in prælia vires.
Audiit hoſce Ducis gemitus, medicamquè dolori
Spondet opem magicæ vocis cantator *Jazyx*.
Nox erat & niveæ ſplendentia cornua Lunæ
Triſtia nocturno turbabant nubila cælo.
Donec ſacrilego viſa eſt faviſſe labori
Atque retorſit equos, cæloque immobilis hæſit.
At magus irriguum cupide expectantia rorem
Gramina perluſtrat. rapit hinc atque inde virentes
Et fulvo & niveo veſtitos vellere flores.
Et quas nulla manus tetigit, radicitùs herbas
Eruit, immiſcetquè aliis & carmine totum
Obducens calathum magicis immurmurat herbis.
Aureus ut primo Phæbus ſurrexit Eoo,
Promiſſam fert lætus opem: tum Regia dulci
Poſt gemitus reſonant rediviva Palatia cantu.
At genitor *Marſuſquè* ſimul Biſtonquè vocato
Dona viro cumulant. quibus ille: ſilentibus armis
Ne vos magnanimi proceres certamina pubis

Lechiacæ turbent, animiſquè in bella juventus
Prona, nec ingenti viſenda haſtilia campo.
Arte mea tentabo Duces, ſtudiiſquè juventæ
Fræna dabo. facilis nudabit inertia campum.
Sic ait: at *Marſus*: tantum vir maxime noſtris
Aggredere auſpiciis opus, haud invita ſequentur
Munera, Lechiacas ut franget inertia vires.
Quà gracili reſupina ſolo ſurrexerat altis
Turribus, irriguis & Lechica Gneſna fluentis
Umbriferum dabat intus iter; lacus hiſpidus udo
Ceſpite, & aſſiduo latè conterminus amni,
Cinxerat immotis turritam fluctibus urbem.
Hic locus inſidiis datus eſt, ubi Cynthia curru
Impigra, jam dudum magicis accita pruinis
Adſuit, & pulchro factis dedit omina vultu.
Ergo ubi Lechiacæ ſtructum magus adſtitit urbi
Inſidias, oculis longè ſpatia omnia menſus;
Principio graciles reſupinum murmur in undas
Impulit. hic primùm proprio mirabile viſu
Diſſilit unda loco, circumſtant fluctibus altis
Æquora, tum medias viridis diſcriminat undis
Inſula, & in liquido ſolidus ſtetit æquore campus.
Imbellis campus. non hic horrentia Martis
Prælia, non rauco ſonuerunt cornua cantu:
Blanda ſed in molli, facilis vel inertia ludo
Mulcebat tenui pendentia nubila voce.
Hic tandem agnovit Veneris connubia Mavors.
Ecce autem in viridi laſciva palatia campo
Aſſurgunt vitreis animata coloribus, unum
Surgit opus, nitido nunquam ſuperabile cælo.
Cryſtallo tabulata nitent, criſtallina lucent
Mænia, cryſtalli prima ſub fronte columnæ
Succedunt tecto, ſummo vix vertice fulvum
Lambere fulgenti pellucida mænia tactu,

Aut in-

Aut inferre diem radiis, permittitur aurum.
At minus argenti pretium eſt. argentea ſerpunt
Limina, perſpicui pedibus calcata metalli.
Cætera candenti veſtit cryſtallus amictu,
Mentiturq; mare irriguum. ſtupet arduus æther,
Lunaq; & attonitæ compreſſis fluctibus undæ
Perſpicuum mirantur opus. cryſtallina latè
Regia ſtat complexa ſolum, radioſq; nitentes
(Blanda quibus virides pingebat Cynthia campos
Cæruleo provecta jugo) ſpectabilis urbi
Imbibit, & rutilos elata reverberat ignes,
Aequora deſpiciens latè, propriamq; teneri
Effigiem ridente lacu, pictamq; profundis
Gaudet aquis. ſimul ipſa novos induta colores
Miratur, radiiſq; imitabilis unda ſuperbit
Magnanimi ficta ludens in imagine tecti.
Circum prata virent latè, florumq; juventa
Pallulat. acclives prætexens gramine ripas.
Planitieſq; ſoli viridis, quam poma coronant
Aurea connexis fuluo velat aggere ramis.
Lucidus interea liquidis ſol ſurgit ab undis
Ignipedes moderatus equos, terraſq; ſalutat
Pronus, & adſpecto plaudunt nova ſidera campo.
Lecta ſimul ſtudiis repetit certamina pubes
Lechica, præcipuiq; Ducum Zbaraſq; Tecinnuſq;
Atq; alii generoſa ſuo de more Juventus
Excedit portis ſtridentibus hiſpida telis.
Ecce autem ante oculos ignota palatia longè
In medio reſupina lacu, ſuperare nitentem
Viſa polum, croceumq; procul Titana pudere
Aemula perſpieuo proponere lumina vitro.
Immoti mirantur opus. ſrupet ipſa juventus
Jam vitreas variis ardere coloribus undas;
Splendida jam liquidum tenuiſſe palatia pontum.

Quis

Quicquid id eſt (primus ſic fatus in ordine Zbaras)
Tantiſper noſtro juvat indulgere labori
O Socii, liquido quæ tandem prodiga campo
Regia conſtiterit, non veri ludat imago
Explorare juvat. major poſt otia virtus.
Sic ait, accelerant alii. cùm littore paſſis
Conſpiciunt velis pictas innare carinas.
Pulchrior ante alias varioq; animata colore
Puppis erat; curvo quam viſus flectere nauta
Innixus clavo, nivei cui tempora crines
Lambebant circum, & miſto condore rubebant.
Impiger hanc magicâ ſcierat ſimulare figuram
Arte magus. quem prona ruens ad littora pubes
Sic affata: tuo quæ conſtitit inſula ponto?
Quæ criſtalla micant? argenti, auriq; metallo
Quid calcata volunt? Urbem quæ Numina noſtram
Poſt habito venere polo? ſociumné locarunt
Imperium Lecho? non plura eſt paſſus Jazix.
Ite (ait) egregii proceres. gens Lechica, pulchràm
Scande ratem, tutor medio vos flumine ducam
Ipſe ego, perſpicuoſq; ſimul, quem ludere fulvo
Margine conſpicitis longè, citus amne locabo.
Quæritis illuſtres animi quæ proxima ponto
Regia conſtiterit? ſubitus quis in æquore campus?
Candida Parrhaſii liquidum Regina Lycæi
Elegit Diana locum, Dzzewonia veſtra
Surgere juſſit opus tantum: ſociataq; Nymphis
Exercet pharetrata choros: nemus illud amænæ
Aurea quod circum pulchro ordine tecta coronat.
Sacratum Divæ eſt, & Regia ſacra Dianæ.
Dixerat: & pictam ſoluit de littore navim
Impiger, illa volat paſſis ſuper âera velis (do
Perliquidum tremebunda lacum, mediumq; profun-
Seruat iter circum fruſtra latrantibus undis.

Ut medio volucri lato ſuper æquore curſu
Tranſegêre viam, dulci reſonantia latè
Nubila concentu ſonuerunt, vocibus auræ
Colluſère leves, cytharæq; liræq; patentem
Implevêre lacum: ſubitis clangoribus actum
Luſit in obverſis agitatum fluctibus æquor.
Ipſaq; perſpicuo pubes argentea vitro
Extulit ardentes oculos, accita canoris
Vocibus, & cupidas cantûs arrexerat aures.
Nec minus ad fictum reſonantia cymbala cantum
Viſa ſalire ratis; nunc inclinata profundo,
Nunc emerſa vadis alterno ludere curſu.
Talibus interea gaudent concentibus omnes
Lechiadæ, littuſq; petunt, puppimq; fatigant
Æquore, & optato properant appellere campo.
Jamq; propinquabant hilares, & littus amænum
Lambebant fluctus celeri impellente carina.
Hic priùs in viridi currentis margine ponti
Errabant nivei tondentes undiq; primum
Gramen equi. mulcentq; novis hinnitibus auras.
Egreſſi mirantur equos. plauſuq; laceſſant,
Et procul errantes propriis contingere palmis
Tentant. illi avidas per prata virentia curſu
Effugêre manus, celeriq; per arva tumultu
Ingratos juvenum longè illuſère labores.
Ad domus interior viridi circumdata campo
Vicinis circumplaudentibus acta choreis
Perſtrepit, & liquidum dulci ferit æthera plauſu.
Hic ſaliunt hilares per prata virentia Nymphæ,
Indulgentq; choris, glomerantur Oreades uno
Ad cytharam dociles per gramina currere paſſu,
Innexis manibus; niveis in veſtibus omnes
Ingeminant plauſus, campumq; diemq; fatigant
Plauſibus, atq; hilares tritum gyrantur in orbem.

At

At Regina jocos ſalientis & otia turbæ
Acclivis molli, Lyciaſq; induta ſagittas,
Spectabat ſolio, dulci ſub mole roſarum
Incurvata libens, Tyrio ſpectabilis oſtro.
Vidit ut in viridi ſtantem longo ordine pubem
Lechiacam campo, & fictas ſpectare choreas
Inſtaurare dolos celer incipit. ultrò ſagittis
Abſolvit Diana latus, foliumq; reliquit
Ardua, & in medium ſaliens ſeſe intulit agmen.
Tum renovare choros celer imperat. ite choreæ,
Nunc cytharæ repetantur (ait) nunc cymbala plau-
Ingeminent, vario pulſentur nubila cantu. (ſus
Nec ſecus imperium Divæ data juſſa ſequuntur.
Hic avium dulcis concentus in aere latè
Perſonat, & grato frondentes murmure ramos
Obſtrepit. hinc cantu reſonant virgulta, lacuſq;
Aſſiduus: teneras avium nec Regia voces
Improbat, oppoſitâ ſed rurſus mole canorum
Vult iterare melos, blandaſq; reverberat auras.
Has inter cytharas Nympharum argenteus ordo
Verberat alterno pede gramina, quæ tamen ultro
Sternuntur dominis gratiſſima munera plantis.
In medio Diana choro, ſociaſq; ſorores
Puniceis crinita comis, ſupereminet alto
Vertice: ne quæ hilarem turbent obſtacula curſum,
Aurea prolixam ſubnectit fibula veſtem.
Dat Regina animos: feriunt cava nubila plauſus:
Fit ſtrepitus fervente choro: ſonituſq; meloſq;
Omnia pervolitat latè loca. curſibus actus
Ipſe fatiſcit ager; natant virgulta nemuſq;
Aureum, & applaudunt curvato vertice frondes.
Talia ſpectabant juvenes ludibria longo
Lechiadæ campo. faciles ſimul unus habebat
Ardor ad adſpectam celeri pede currere turbam

Et tentare choros, & dextris jungere dextras.
Fitq; ſatis placito. quid non tentare cupido
Audeat effrenis? quid vana licentia? ſeſe
Confundunt turbæ Proceres: ſoluuntur habenis
Gaudia, poſthabitis ſudant crateres in armis.
Stant bellatrices aquilæ, ſæviq; Leones
Otia ſectantur: ceſſant haſtilia campo:
Tibia pro lituis, & pro clangore tubarum
Molle lyræ ſonuêre melos. ſine lege vagantur
Illuſi juvenes, quos non ſecura Voluptas
Talibus implicuit ſtudiis. tædere laboris
Incipit optati. jam vult deluſa juventus
Alternare vices, nimiiſq; abſiſtere gyris.
Sic agitant animo: gemini cum dulcia fratres
Pignora, viſuntur caro cum Caſtore Pollux
Exertare pares humeros, alternaq; latè
Brachia jactare, & ficta certare Palæſtra.
Addunt ſe ſocios proceres, renovatur arena
Fraterno nimium fictè calcata furore.
Hoſpitibus gaudent alacres, animoſq; laceſſunt.
Mutua connixi protendunt pectora, & altis
Inſurgunt dextris, ſeſeq; in pulvere fulvo
Ambigui jactant, certantq; reſiſtere arena.
Deceſſêre pares, nulli conceſſa Paleſtræ,
Palma fuit Procerum: tarda eſt poſt otia virtus.
Ergo alios intrare dolos maleſvada voluptas
Imperat, oppoſiti pars ſuſpicit aurea tecti
Culmina, pars niveis diſtincta cubilia gemmis
Interior domo ſpectant: argentea circum
Mænia mirantur reliqui, vicinaq; latè
Diſcurrunt per prata hilares, per amæna vagantur
Gramina; pars virides vicini fluminis hortos
Ingreditur, crocei quos primâ fronte ſalutant
Imperio Zephyri nutantes vertice flores.


Miran-

Mirantur variis halantem floribus hortum,
Purpureoſq; metunt flores, tenuiſq; per arva
Inviſunt avidi ludentia murmura fontis.
Jamq; per obliquum ter dena volumina cælum
Finierat properis currens argentea bigis
Cynthia, & exhauſtum compleraṫ lumine cornu,
Puniceas induta faces. totidemq; ruit ſol
Heſperiis terdenus aquis, terdenus Eoo
Sparſerat aſſurgens radiantia lumina ponto.
Lechiacâ tandem Proceres revocantur ab urbe,
Et blandum reſecatur opus, cauſaſq; morarum
Lechiadas omnes, ipſumq; inquirere Regem,
Præcipuoſq; Duces, lectamq; ex ordine pubem,
Jam rigidum lituis acciri in prælia Martem,
Sarmaticas jam ſtare acies, turmaſq; Scytarum
Adveniſſe hoſti; juvenum defertur ad aures.
Illi indignantes: quæ tanta inſania nobis
Additur? an geminas coiiſſe in fædera partes
Ignotum eſt? nuper roranti ſanguine campo
Ceſſimus, utq; novo fabricata palatia ponto
Venimus adſpectum, toto quem cernitis orbe,
Heſperias nondum Phæbus deceſſit in undas.
Vix nos una dies tenuit, nunc unica primum
Ire parat radiis penetrans cava nubila Phæbe.
Parcite aberraſtis vel vos, vel ſidera; nobis,
Non dubium, veſter quin Phæbus luxerit idem
Ite viri, mora nulla, citi properamus ad urbem,
Sole novo paſſis iterabimus æquora velis.
Sic pariter dixere omnes: ſimul ore fremebat
Otia præſcindi renuens, & ad arma juventus
Tardior. heu nocuit quantùm mora parva, dieſq;
Exigui! rurſum repetit levis otia pubes
In parteſq; ruit varias, revocantur arenæ,
Et teneræ modulantur aves, repetuntur amæni

Multi-

Multifidis nimium prægnantes floribus horti.
Jamq; dies, alterq; dies procefferat, illi
Imperii immemores, nequicquam mænibus urbis
Expectati aderant. Accitum mittitur alter
Nuntius; at nitidi delufus imagine tecti
Manfit, & immixtus levibus per prata choreis
Detinuit facilem majora per otia pubem.
Interea Rex ipfe fuæ ludibria gentis
Agnovit tacitus: jubet otius ardua Natum
Carbafa in adverfos celerem propellere fluctus,
Lechiacos revocetq; Duces, tardamq; juventam
Imperet accelerare citâ fuper æquora puppi.
Fit via per medium juveni tutiffima flumen.
Prima per ingentem patuêre palatia campum
Aurea, quam feries circum cryftallina lambit.
Hic fubitum ftupefactus opus, jubet acer ad ipfum
Flectere vela locum, pictifq; adnare carinis.
Per freta vela ruunt, jam jam funt littore: dictu
Mirandum, titubat campus, fugiuntq; carinam
Littora, & affurgunt turbatis fluctibus undæ
Præcipiter. abiit tenues difperfa per auras
Regia, nec liquido preffit veftigia ponto,
Omnia flumen habet latè loca: Heroes in alto
Turbine, fimplicibus fefe jam ftare carinis
Advertunt omnes. Procerum Vifimirus ad agmen
Stans celfa in puppi placido fic pectore fatur:
Magnanimi Proceres quæ vos ludibria ficto
Decepere loco? cognofcitis otia? quinam
Invictos vicêre doli? quas ceffit in auras
Lechiadum populata animos invifa Voluptas?
Sarmaticus noftras ftridor crebro atterit aures.
Telorum horrendus ftridor: vos fibilus auræ
Malcebat tenuis, pudor, heu pudor! arma juventus,
Arma viri renovate, ruat neglecta voluptas.

Primus in arma voco. Dixit. quem protinus omnis
Insequitur pubes diram execrata paludem
Et tristem indignata locum pro mœnibus urbis
Adstitit infausti memorans ludibria tecti.
Hic tandem Proceres revocant in prælia Martem.
Primus in oppositum juvenis pulcherrimus orbem
Præcipiti se tollit equo, nec dextra fefellit,
Currentem properé teres annulus ambiit hastam.
Hoc reliqui fecere Ducum, hoc cætera pubes
Lechica. sic melior rediit post otia virtus.



O D Æ
IN FUNERE
JOANNIS RUDOMINA DUSIATSKI
TRIBUNI BRASLAVIENSIS
&
Filii ejus
GEORGII
S.R.M. AULICI & DAPIFERI
Bello Turcico ad Chocimum cæſi.
A. MDCXXI. VII Idus Sept.

ODE I.
Æterna Memoria Patris, Natiq; Manibus.

Non purulentis oblita ſordibus
Edax Vetustas his penetralibus
Latè ſuperbit, ſed perenni
Mnemoſyne ſolio recumbit.
Vitæ rependit præmia traducis,
Aſpriſq; ſolvit penſa laboribus,
Et quas frequentato dolore
Indigenæ meruêre palmas.
Pacatus arces jam Genitor capit,
Quas, deſtinato limite, laurea

Pax

Pax ſæpſit, & confaſciavit
Turriferos apices oliva.
Hic peſſulato vox ululantium
Inhæret antro, nulla penatium
Lamenta, nec tanto profuſi
Hoſpitio gemitus reclinant.
Cives eburnis aurea barbitis,
Luſuq; mulcent ſidera, pars choris
Indulget æternis, ſonantes
Pars cytharas digitis pererrat.
Ales triumphos ſic Palamedia
Gyrat, gelatæ quando hyemis rigor
Diſcedit, & ſeſe liguſtris
Prata ſuperbificis colorant.
Æthram ſtupentem tunc modulatibus
Illectat; illi ſilva ſequacibus
Conis remugit, dupliceſq;
Unum opus accumulant lepores.
Patri jugatis greſſibus, additur
Comes ſerenus Filius, Iſthmiis
Nuſquam triumphator palæſtris
Vulnere nobiliore fulſit.
Depurpurati vulnera corporis
Oſtentat ardens; hos Othomanicæ,
Inquit, ſariſſæ permearunt
Funeris impavidos lacertos.
Hæc ignearum fulmina glandium
Circum fremebant pectora, ſæpius
Athleta lunatas phalanges
Elicui metuendus haſta.
Volente donec Numine, tragulâ
Scrutatur artus Thrax truculentior,
Laſſumq; tot palmis paratis
Pulvere funereo ſupinat.

Amore foſſas, Numinis, & Crucis,
Nunc pando plagas. quis melioribus
Pugnavit armis, clariores
Aut tulit exuvias reverſus?
Non ſarcinata pelle Lybiſtidis
Incingor urſæ, non Nemeeio
Leone, quem, victor ſubegit
Amphytrioniades in arvo.
Crux velat armos, ſideris æmula
Crux, glorioſo vertice fulgurat:
Æterna, ſuſceptos labores,
Mnemoſyne, Cruce muneratur.

ODE II.

Parænesis Parentis ad Filios.

HÆres paterni ſanguinis, inclito
Fruſtra tumeſcit ſtemmate, Patrias
Ni muniat ceras avita
Indole, magnificiſq; factis.
Si quid Parentis mortua vox poteſt,
Cœli, per altas, non penetrabilis
Conſtanter eluctata moles,
Marmoribus tumuli refractis;
Audite Nati, Martia pectora,
Voces Paternas, quos pietas mea
Virtutis hæredes, ſimulq;
Cura facit Dominos bonorum.
Cultus Tonantis Numinis; & Fides
Albata Christi ſanguine, in intimis
Vivat medullis; & recenti
Evireat Pietas colore,
Examinatâ Justitiæ librâ
Senſus gubernet; ſupplicet utile

Quod-

Quodvis honeſto, hinc, hinc, decori
Ocius exiliunt honores.
Vicina Magno Patria Numini
Intaminatis creſcat amoribus;
Inglorius nemo revulſit,
Pro laribus jugulum, paternis.
Scribuntur Aſtris facta loquacibus
Iſthæc virorum; non cineres pavet
Infracta Virtus, nec jugantur
Terribiles animi ſepulchris.

ODE III.

Epinicium Victoris.

TOrmenta diri fulminis æmula,
Clangor turbarum, murmura tympani,
Bellantium clamor virorum,
Et fragor, & gemitus cadentûm
Obtundit aures: ne lachrymabilem
Leſſum, querelas neu miſerabiles
Vir audiat, cæſus libenter,
Victima pro patriæ ſalute.
Non vult doleri flebilibus modis
Campos patentes ſanguine proprio
Qui decoloravit, cruentum
Laudis amore petendo fatum.
Compeſce luctum; triſtitiam, Notis
Portare, tradas, in mare Balthicum
Frater; dolorem, temperato,
Mæſta parens, animo retunde.
Vixiſſe longum eſt: pro patriis focis,
Pro Rege, & aris, qui potuit mori,

Vernans juventus ſic perempta,
Eſt nivibus potior ſenectæ,
Non uſitatis clarus adoreis,
Jam Dædaleo celſior alite,
Penna ferar famæ perennis
Longiùs, invidiàq; major.
Me ſera libris poſteritas leget;
Mortis decoræ poſt obitum mihi,
Recluſa donantur, beatæ,
Emerito, Prytanæa vitæ.

ODE' IV.

Dignos laude Viros Fama vetat mori.

LAbentis ævi nemo fugacia
Diſpenſat exlex ſtamina: quemlibet
Fatalis Atropos laceſſit,
Et rigidum ciet ad tribunal.
Annoſa ſeu te præcipitet dies,
Seu prima vernet gratia temporis,
Trudet ſub æquales procellas
Prenſa freto ratis, abnuentem.
Fuſos acervos ſæpè Proſerpina
Uno reliquit cuſpidis impetu,
Teloq; vibrato pavenda
Abdit humi juvenes, ſeneſquè.
En ut ſevera vel modo dexterâ
Tumultuoſos, aggerat impetus,
Et Rudominarum ſepulchra
Agglomerat Patriâ dolente.
Nunc in Joannem torſit acinacem
Canæ ſenectæ deproperans decus,

Nunc in GEORGIUM reſævit
Progeniem generoſiorem.
O lachrymarum reflua flumina!
Lux una binum dat tumulo jubar,
Patremq; Filiumq; nexu
Una rapax ſociat perenni.
Uterquè fixâ lege coercitus
Decreta ſummi judicis audiit,
Hic flore pullulante, canâ
Ille genas inarante rugâ.
Utrumquè virtus ſed tamen enthea
Æternat, ætas poſtera debitum
Utriq; MARMOR pollicetur,
Et memores Patriæ coloſſos.
Dicet JOANNIS pectus aheneum,
In perduelles cum rueret greges,
Moſchumquè fudit fraudulentum
Enſe metens, animoſus Hector.
Dicet GEORGI martia ſpicula,
Dextræq; robur vindicis arduum.
Qui Patris æmulus, decorum
Trivit iter celerante plantâ.
Formidoloſus cum furor undiquè
Exæſtuaret Biſtonii Ducis,
Turcæquè lunatæ phalanges
In Lechicos ruerent penates.
Cordatus heros non tulit impias
Errare turbas; acer in hoſticos
Illapſus aſſultus, cruoris
Imbre faces Patriæ repreſſit.
O digna pennâ pectora præpete,
Vobis Nepotum collachrymatio,
Buſtiſq; debetur relictis
Fama, decus, reſonæq; voces,

ODE

ODE V.

Fortes Boniquè perennant.

QUid trux, ſuperbo, tranſigis Atropos
Feſtum, triumpho, lætitiæ diem?
Cur arrogantes, faſtuoſis
Das manibus, pedibuſq; plauſus?
Ergone tantùm, livida, gaudii,
Amæniori pectore concipis,
Vim Lithalorum Rudominas
Fatiferâ cecidiſſe falce?
Durat caducum nil ſtabili pede,
Aſt uſitato labitur impetu:
Mortalis ævi, ſorte verſat
Ambiguâ Nemeſis volumen.
Semel (fatemur) funeris omnibus
Trames terendus; ſerius, otius,
Omnes ad unam pulverantis
Perſephones, properamus urnam.
Verum virorum, neſcia fortium
Virtus, recondi mortiferâ ſpecu,
Æternitatis degit annos,
Perpetuâ coliturq; Famâ.
Vivit Joannes, vivit & inclitus
Contemperatâ laude Georgius,
Et laureatas ambo palmas
Empyreis referunt in oris.
Hic, pro Tonantis Numine Maximo,
Et Chriſtiani nomine dogmatis,
Pro Patriâ, Regiſquè vitâ,
Armiſonum coluit Gradivum.

Formi-

Formidoloſos, pectore Martio,
Riſit furentis Maſſagetæ globos,
Et contumaces Concanorum
Meſſuit impavidus cohortes.
Depurpurantem ſanguine Turcico
Campus liquorem Valachicus bibit;
Podoliarum fæta tellus
Tartarico tumuit cruore.
Maturus ævo, Neſtoreo Parens,
Virtutis aſtro fulſit amabili:
Lumen Minervæ, fama Phæbi,
Religionis Athlas Quirinæ.
Uterquè dignus perpete Gloriâ,
Uterquè dignus Cælicolûm throno,
Uterquè dignus ſempiterno,
Colloquio Triadis potiri.

E L E G I A

Nulla eſt Superæ Violentia Legi.

PAnde fores lachrymis, mæſti Dolor intime cordis,
Funereo Luctus proluat amne genas.
Una dies Patrem tumulat, Natumq; recondit,
Et Pater, & Natus, jurè dolendus erit.
Ille Pater moritur, ſoboli qui perpete fama
Factiſq; oſtendit nobile laudis iter.
Qui monitu facili, dictiſq; ſequacibus, uno
Quærere Virtutum juſſit amore vias.
Divitiis pollens, ſanctoq; potentior auro,
Æterno fecit ſurgere templa Deo,
Ceratis toties tabulis, & faſcibus hoſtis,
Bullatas vidui ſprevit honoris opes.

Sola

Sola catenatos Virtus quæ ducit honores,
Nexibus adjunxit pectora juſta ſuis.
Non levis Ambitio, & mendaci perlita fuco
Gloria, magnificos traxit ad ima ſinus.
Ignes Relligio longævis prætulit annis,
Et quicquid Probitas jugis amare docet.
Nec Genitore minor ſoboles pro ſede Paternâ
Purpureis tinxit membra ſtrategus aquis.
Bellator petiit generoſa Georgius arma,
Hannibal infracto robore, Marte Milo.
Hem vix Threjicias ferrum contorſit in Hydras,
Dum capita enſe petit, ſaucius enſe cadit.
Ah quantus rueret per Moſchica prælia miles,
Qualiter aut celeres funderet iſte Getas.
In Gothicos iret quanta ceruice Leones,
Servaret Patriæ ſi fera Parca Virum.
Martia Majorum ſpectaret turba Nepotem
Antiquis palmas accumulare novas.
Thomas ille foret, Patriæ, Laurentius alter,
Qui Patrium auxerunt Marte favente decus.
State piæ lachrymæ, Patrem, Natumq; dolemus;
Verum triſtitiæ, debet ineſſe modus.
Diphtera quod cœli æterno concluſit ab ævo,
Mergere decretum lachryma nulla poteſt.

ODE

Salomon Poëticè describens Sponsam.

O casta sponsa, quam tegit
Formosa mundi gratia;
Ut omnia miror, ut tuos
Mecum capillos supputo!
Tales ocelli purpurant
Castæ columbæ; quàm suò
Decenter à fastigio
Crinalis unda defluit!
Quales capellarum greges,
Cum jam verecundo pudet
Latere stellas gurgite;
Omnes gemellis foetibus,
Omnes pudici fluminis
Recente rorantes aquâ
Tonsis Galatiadi jugis
Suum recurrunt ad larem.
Hinc & illinc euntibus
Vesper lucernas ætheris
Præportat, & saltantibus
Jam fuscus arridet dies.
Quam delicato candidam
Disponit ore grandinem
Eburnus ordo dentium?
Ut innocenti tænia
Conchyliati muricis
Superbit astro; sic tuis

Diffuſa labris gratia
Suos in amnes liquitur,
Suaſq; decurrit genas,
Frontiq; cincinnus decens
Alludit & ſanctos meo
Caſſes Amori fabricat,
Cordiq; ponit retia.
Ut blanda vultûs purpura,
Duplexq; malarum color,
Cauros ridet, ſtultos Notos,
Pandiſq; mirantem procul
Apeliotam faucibûs!
Ut mala longe Punica
Blandîs tenent ſaporibus;
Si fortè cultri vulnere
Librô reciſi corticis
Vulgant odorum copiam!

Reliqua deſunt.

POTENTISSIMO POLONIÆ REGI

SIGISMUNDO III.

MAGNO DUCI LITVANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ, NECNON SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQ; HAEREDITARIO REGI.

NICOLAUS DE SMOGULEC SMOGULECKI. F. (a)

SEcundam, & quadragesimam SIGISMUNDI de barbaris hostibus victoriam Poloni numerant, qui imperii tui diuturnitatem triumphis malunt distinguere, quàm annis; illustriores rati virtutis esse notas, quàm ætatis. Tot strages hostium, tot

(a) *Sequentes quinque odæ, quas Nicolaus Smogulecki primùm Præfectus Nakelensis, postea* Societatis JESU *apud Sinas Missionarius Regi Sigismundo obtulit; videntur habere Auctorem Sarbievium. Nam præterea, quòd Nicolaus, cùm Romæ juvenis admodum Philosophiæ operam daret, familiaritate Poetæ nostri usus est; quicunqne Lyrica Sarbievii diligentiùs pervolvit, & stylum & entheum illius in his carminibus facile deprehendet.*

tot bellicæ felicitatis auctaria tua viderunt, quot ipſa ſpondente fortuna, ſperare vix poterant: quam tam ſecundam expertum eſſe mirum eſt eum, qui primo ſemper loco virtutem habuit. Et tamen plures expectat ſperatque Chriſtianus Orbis, cujus te hoſtes ipſi (quorum judicium quò benevolentiæ minus, eò plus habet veritatis) aut murum, ut Hectorem Troiæ, aut ſcutum, ut Romæ Fabium agnoſcunt: plures inquam exſpectat laureas ab hac ſenectute tua tàm fertili victoriarum, quàm non infæcunda virtutum, & quæ acceſſu confirmata gloriæ, deterioris detrimenta non ſentit ætatis. Præſertim cum præteritorum memoriam tanquam obſidem, & fidejuſſorem ac pignus habeat futurorum. Ut enim hactenus nullus Regni tui triumphorum ſterilis annnus fuit, ita nullum deinceps veræ laudis ac virtutis vacuum fore momentum ſperamus. Gratulor tibi, SIGISMUNDE, quem tanquam ubiq; præſentem intueor, qui gloria tui nominis univerſam Europam occupas, imples fama. Gratulor Patriæ in tanta eligendi facultate SIGISMUNDUM ei potiſſimum placuiſſe, hoc eſt, præ cæteris univerſorum ordinum judicio præſtitiſſe; qui tamen prius virtutum omnium ſuffragio, & quaſi centuriatis comitijs in Regnum fueras vocatus; quod imploratus, ut ſervares, accepiſti, periturum funditus niſi accepiſſes. Occurrebant animo, & turmatim obtrudebant ſeſe Demetrii, Baſilii, Caſſigeri, & cætera hoſtium ac triumphorum tuorum nomina, quæ SIGISMUNDUM virum ſuo ſæculo majorem oſtenderunt, dignum meliore dicerem, niſi tuum optimum, & felicitate, gloriaque cum prioribus comparandum feciſſes. Verùm ego in tanta laudandi copia, pauca

quæ-

quædam delegi, quæ in publica gentium luce Romæ proponerem, & Chriſtianæ Religionis (abſit veritati invidia) Tutorem in ampliſſimo Religionis concilio tanquam in theatro ſpectandum darem. Civiles victorias non attigi, quia cùm agere me Romæ ſcirem, agendum mihi conſtitui Romanorum more, apud quos civilibus bellis triumphum decerni nefas erat, ne Romano ſanguine madentes laurus plaudentium oculos, publicamque lætitiam, juſti ſenſu doloris, domeſticique luctus ferali quadam pompa confunderent: tum, quia plus habebant ſplendoris, invidiæ minùs, erecta de Turcis trophæa. Quid enim aut nobis gratius, aut præclarius tibi, quàm victores orbis terrarum vincendo, oſtendiſſe vinci omnino poſſe? Cùm enim tu multitudinem infinitam incredibili paucorum virtute fregiſti, oſtendiſti quàm non difficile terror ille Europæ, Chriſtiani nominis lues, ac Regnorum charybdis deleri poſſet, ſi vel fautores execranda ſuperſtitio pauciores haberet, vel Chriſtiana Religio plures SIGISMUNDOS. Vidimus paucis ab hinc annis, cùm barbaros ad ſeptingenties mille ferocitate non minus quàm ferro armatos, exiguis quidem copiis, ſed Polonis, ſed tuis, & tua, hoc eſt, vera virtute animatis profligaſti. Et poterat tunc Polonia orientalis eſſe caput imperii, cùm armorum fragore, & fugientium ſtrepitu perculſa Conſtantinopolis, tuum, ut caperetur, adventum ſolùm expectaret, niſi maluiſſes fidè in perfidum toties hoſtem uti, quàm fortitudine; cùm tibi decretum eſſet non barbarorum fines invadere, ſed tui Regni ſimul & Orbis Chriſtiani limitem tueri. Fortunæ, quod vulgo fit, ne minimam quidem partem in tuis laudibus

tribu-

tribuendam putavi, qui probè noſſem omnia te virtuti debere, eamquè utramquè tibi paginam impleviſſe, & expenſi laboris, & honoris accepti. Neque verò adulationum lenocinio, & Poëticis coloribus opus mihi fuit; cùm ea domi foriſquè geſſeris, quæ liberum nobis eſſet dicere, audire tibi glorioſum. Patere ergo, REX SERENISSIME, me Regii nominis fulgore aliquam umbratili, literatæque pugnæ lucem accerſere: non me deterret Majeſtatis Regiæ ſublimitas, quem SIGISMUNDI facilitas invitat. Etenim cum virtutes tuæ longè à vitiorum confinio ſecernantur, tamen (ut liberè dicam, quod plerique ſentiunt) ſummam manſvetudinem vel hoſtibus ipſis exhibes. Agnoſcis crimen; imo, niſi fallor, amplecteris; Quid enim honeſtius in viro Principe culpa benignitatis? Dignum ſanè vitium quod Reges habeat imitatores: ſiquidem, cùm famam tibi Principis optimi cæteris virtutibus paraveris, humanitas tua tibi immortalitatis, (quando divinitatis tua pietas audire non patitur) opinionem conciliavit. Romæ MDCXXIX.

✡ ✡ ✡ ✡
✡ ✡ ✡
✡ ✡

ODE PRIMA.

VIRTUTUM ACIES SUB SIGISMUNDI SIGNIS PUGNAT.

DIVA, ſubjectas domina coronas
Quæ manu ſpargis, ſoliiſq; gaudes,
Aut adoratis populo minori
Ludere ſceptris.
Diva, quam rebus trepidis paventes
Ambiunt Reges, & emace voto
Ducit in partes facilem moveri
Miles iniquus.
Quæ ſimul curru volitans ſecundo
Caſtra luſtraſti, placidaſquè viſa
Ire per turmas, vel amica dextrâ
Tollere ſigna:
Ilicet campo fugiunt, latentes
Grandibus tecti clypeis Timores,
Et Metus vani generoſa circum
Signa volantes.
Ilicet vires redeunt, amorquè
Martis inſani; cupiduſquè laurum
Morte venalem rapuiſſe gliſcit
Mentibus ardor.
Perge bellaces animare turmas,
Unde Mars ortus: nequè jam Polonis
Hoſpes in caſtris, ubi te ſodalem
Horrida Virtus,
Et triumphatos celebrare Turcas
Læta ventoſo vaga Fama curru,

Et

Et coronali ſequitur ſuperbus
Fronde Triumphus.
Dum SIGISMUNDO violentus armat
Omnibus ripis Tanais cohortes,
Et Dahæ Thracum maculoſa tergent
Arma cruore.
Regium ſtipant latus, irrepexo
Crine formoſus labor, & futuri
Mens ſagax auſpex, & adulta bello
Conſilii vis.
Quem fatigatum modò Sol diurna
Ipſe jam feſſus ſimili labore
Vidit, hunc cernunt vigiles moventem
Sidera curas.
Lucis in partem miſerata longos
Fratris errores venit, Indicoquè
Dum latet ponto, vacuum pererrat
Cynthia cælum.
At SIGISMUNDUS vigil obſtinato
Torquet inſomnes animos tumultu,
Nec vices mutans jubet imperatos
Vincere ſomnos.
Larga devoti Pietas cruoris,
Et Fides nullo violata fuco,
Et tenax æqui, ſcelerumquè vindex
Caſtra ſequuntur.
Tanta Virtutum tibi dum POLONIS
Militat caſtris acies, propinquæ
Terror Europæ tibi ceſſit uni
Thracius hoſtis.
Nec minax ultra pharetra inſolenti
Tartarus, laxo famulatur arcu,
Aut pigras inter meditatur alta
Otia ſylvas.

Ibat

Ibat Hybernæ ſimilis procellæ
Arctici victrix acies Tyranni,
Et cruentandus Scythicis fremebat
Boſphorus armis.
Qualis in rupes fremit, & minaci
Iſter undarum cumulo, minorum
Fluminum dives ſpoliis, Apriles
Colligit iras.
Ni SIGISMUNDI generoſus ardor
Intumeſcentes propè funerandæ
Littus Europæ tenuiſſet alto
Objice fluctus.
Empta virtuti modico cruore
Vilior laus eſt: meliorquè magnam
Impedit frontem graviore laurus
Empta periclo.
Quo tuum, PRINCEPS, reditum triumpho
Mœſiæ valles, Hypaniſquè tuto
Alveo liber celebrent, & aurea
Phaſidis ora?
Dum tuos Victor Getica reviſis
Cæde formoſus, ſpoliiſq; Thracum
Altior, læto populos frementes
Aſpicis ore.
Quas tibi moles Pario labore
Ponat Arctoæ monumenta cladis
Fama, ſeu mavis Scythico triumphos
Marmore ſignet?
Illa per faſtos memores ſacrabit
Nomen æternis titulis, tuamque
Inde virtutem nova Poſterorum
Mittet in ora.
Hoc habe pulchri pretium laboris,
Frigido vivas cineri ſuperſtes,

Grata

Grata quem pubes, populusque longo
Eximet ævo.
Nec LADISLAUS pavidos in hostes
Fulminat magno levior Parente,
Dum Patri sese probat, & paternas
Exerit artes.
Quantus armato metuendus astro
Surgit Orion, timidamque plebem
Siderum terret, rutilusque stricto
Fulgurat auro.
Festa bellorum tibi tradit ultro
Regna felici moderanda sceptro,
Et pharetratas animosa mittit
Moschua turmas.
Hoc tuæ, PRINCEPS, satis est juventæ:
His rudimentis populos regendi
Patrias artes, & avita disce
Sceptra movere.

ODE SECUNDA.

VICTORIA

SIGISMUNDUM CORONAT.

AD arma, ad arma milites, ad arma:
Pavidis seges horreat ærea campis:
Cassis amoeno horrore, jubaque
Fluctuet ancipiti;
Et facilis colludere vento,
Nutu minetur hostibus.
Terribili sonitu litui fragor
Aere canoro cieat Martem,

Belli-

Bellique minas acuat cantu.
Ad arma, ad arma, ad arma.
Inauſpicatos excitat impetus,
Et Concanorum plus vice ſimplici
Oſmannus expertas cohortes
Fraudibus Odryſiis laceſſit.
Patriæ vindex pietas decoras
Urget in cedes, animaſquè magnæ
Prodigas vitæ rapit, impiiſquè
Objicit armis.
Ad arma, ad arma milites, ad arma.
Aerea terribili tuba murmure
Cieat Martem, belliquè minas.
Ad arma, ad arma, ad arma.
Nocturna ſignis turpibus inſidet
Fraus, imbecillo cui comites gradu
Junguntur ignavi Timores,
Et trepidas acies oberrant.
Pugna probroſas latet inter umbras
Nec diem teſtem patitur; ſed altà
Conſcios tendunt oculos cruenta
Sidera nocte.
Ad arma, ad arma milites, ad arma.
Aerea terribili tuba murmure
Cieat Martem, belliquè minas:
Ad arma, ad arma, ad arma.
Sed jam recedunt agmina Biſtonum,
Aut arva mordent immiſerabiles,
Fruſtraquè fortunam priorem
Aemathiis lacrymantur armis.
Jam LADISLAUS vacuus pericli,
Barbaro lætus potitur triumpho!
Jamq; victrices Aquilas, Polona haſtilia tol- (lunt.
Fugite, fugite, fugite pede præcipiti;

Fugite,

Fugite, fugite celeres equitum cunei.
Aedones, Biſtones, Moſchui, Tartari, Barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite Barbari.
Inſtat citati fulminis impetu,
Et nube miſſis ignibus acrior
Miles Polonus, & morarum
Impatiens furit ante pugnam.
Qualis Elæo ſonipes in arvo
Lætus abſentem cavat ungue campum:
Sic eques ſtrictis violentus armis
Ardet in hoſtem.
Fugite, fugite, fugite pede præcipiti,
Fugite, fugite celeres equitum cunei,
Aedones, Biſtones, Moſchui, Tartari, Barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite Barbari.
Vos caprearum turba fugacium
Fractis Leones cornibus aggredi
Audetis, imbelliquè fronte
Ore avido peritura turba?
Quò furor mentes agit, inſolenſquè
Martis inſani rabies? quis ardor
Signa convellens, Rhodopen ſiniſtro
Numine tentat?
Fugite, fugite, fugite pede præcipiti,
Fugite, fugite celeres equitum cunei,
Aedones, Biſtones, Moſchui, Tartari, Barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite Barbari.
Jam nec latebris, nec locus eſt fugæ
Ignava Turcæ pectora: nil juvat
Hoſtem experiri fraudulentis
Conſiliis, tacitaquè nocte.
Jam recedentes ubi ſol tenebras
Eximet cælo, dominata campis
Threſſa langvebit, dubioquè cedet
Cynthia cornu.

Fugite, fugite, fugite pede præcipiti,
Fugite, fugite celeres equitum cunei,
Aedones, Bistones, Moschui, Tartari, Barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite Barbari.
Io triumphe.
Dicite io, bis io, ter io triumphe,
Vos animæ fortes, vos nati ad bella Poloni.
Carpit Idumæas felix Victoria palmas,
Fortiaquè Aemonia circumdat tempora lauro:
Dicite io, bis io, ter io triumphe.
Odrysias acies, debellatosquè Gelonos,
Et conjuratas Europam adjungere victis
Olim Asiæ, Libyesquè plagis jam dicite fractas,
Threiciam, Aemathiamq; ; & formidabile regnis
Osmanni nomen, & Thressæ cornua lunæ.
Dicite io, bis io, ter io triumphe.
Dum Phasim veterem, & famosam vellere Colchon,
Ismaraq; , & Rhodopen, & quicquid Vistula lætis
Amplexatur aquis, aut Vilia flexibus ambit,
Fama SIGISMUNDI doceat celebrare triumphos.
Dicite io, bis io, ter io triumphe.
Fama LADISLAO ter io cane; tuquè Parenti
Fama SIGISMUNDO ter io cane; vosquè Poloni
Dicite io, bis io, ter io triumphe.

ODE TERTIA.

PIETAS SIGISMUNDO TRIUMPHUM ADORNAT.

ET messes Arabum focis,
Et nimbos Cilicum, & divitis Indiæ
Fruges adde POLONIA.
Et promissa diu solve faventibus
Divis vota memor; neque
Fraudentur meritis templa vaporibus.
Non jam milite Tartaro
Desolata gement arva Valachiæ,
Nec pulsata equitem exterum
Tellus Barbaricâ sentiet ungulâ;
Nec victus toties Scytha
Viset sanguineæ rura Podoliæ;
Et campos memores fugæ,
Lassis urget equis dum stimulos Pavor
Thressum post equitem sedens:
Ignavique Metus terga fugacium
Obverso clypeo tegunt.
Tunc, Osmanne, tibi dura necessitas
Hanc vocem, & pudor extudit.
Imbellis volucrum turba fugacium
Pugnaces aquilas, (nefas!)
Ultrò prosequimur, variaquè prælia
Uncis ludimus ungvibus.
Signis antè quidem Semiviri Phryges
Cesserunt Othomanicis:
Et quondam ingeniis Græcia nobilis,
Et

Et mitis Paros, & manu
Imbelles Tyrii, quique Corinthio
Undarum arbiter insolens
Isthmus, bina, jugo dividit æquora;
Lunatesque vehens rates
Fæcundus subitâ Nilus adoreâ
Captivo fluit alveo;
Et quicquid Libyco clauditur æquore,
Arctoo premitur jugo.
At non & simili Marte Polonia
Tentanda, & juga Carpathi,
Et devota neci pectora liberæ,
Audacesquè mori Aedones:
Aut duris Rhodopes cautibus editus
Miles Sidere Martio.
Non jam Sarmaticas exuvias meis
Delubris voveo, nequè
Currus sangvineos cæde Polonica,
Capta mergere Vistula.
Quod si fata sinant, & bona fortibus
Cælo numina consulant,
Victrici galea jam meus hauriat
Rhenum miles, & Albula
Captivo Geticas sentiat alveo
Naves sanguine decolor,
Et quæ belligeræ cunquè Poloniæ
Gens ultra Tanaim jacet.
Bello sola mora est, sola Polonia.
Sed quid spem modo transfugam
Frusta sollicito? fataquè Sarmatis
Conjurata cohortibus?
Ultra sola fuga est, si miseris fugam
Fortuna, & pudor annuat.
Hæc inter lituos dum lacrymabili
Thrax

Thrax deflet querimonia:
Felices Aquilas, & toties Scythæ
Notas Sarmata promovet.
Tunc virtus Zephyris vecta jugalibus
Instructas acies adit;
Et magnas patriis viribus aggerat
Mentes, atque capacia
Non ignobilium pectora vulnerum
Implet sanguine Martio.
Et dura patriæ mulcet Amor manu,
Formosoque periculo
Contemptorem animum funeris asperat.
Ut currus super & rotas
Plaudens læta jubis colla comantibus,
Exhortatur equos Pavor,
Aut lucem gladiis addit aheneam,
Aut pinnas radiantibus
Componit galeis, duraque mobili
Ludens arma quatit manu.
Sic pugnes Superis in profugos Scythas,
LADISLAE, faventibus,
Sic vincas Superis, ò patriæ decus
LADISLAE, volentibus.
Post victas acies, atque Othomannico
Tinctum sanguine Bosphorum;
Currus cùm dominos utraque senserit
Servi ripa Boristhenis:
Per strages medias, armaque fortibus
Erepta arduus ambula:
Et partam meritis sume superbiam;
Dum conus galeæ minax
Victum Thraca jubis altior increpat.
Aut lassum vacuo caput
Deponas clypeo; & quæ prius hostium
Tinxisti;

Tinxisti gramina sanguine,
Somno jam placidus pacifico premas.
Dum pulchrum revehens diem
Fictâ grata quies Martis imagine
Jam secura pericula,
Et vanos strepitus misceat insolens
Et currus, & equos sopor.
Mox per frugiferæ rura Podoliæ,
Fatalesquè Getis agros,
Quà nunc Odrysio sanguine pingvior
Campus cædibus horruit,
Quà nunc cæde nova luxuriat seges;
Mavortis spoliis Ceres
Gaudens, Bistoniis demetet ensibus
Maturam segetem, & Scythes
Flaventes calamos discet acinacis
Sicco scindere vulnere.
Et scuta oviparas excipient aves:
Aut acris litui immemor
Carmen pacificum garrula ab hospite
Cassis discet hyrundine:
Quæ cæsi capitis plena Podolicis
Campis volvitur, & minor
Cristis mobilibus mæret inutilis.
Sic sic Regia sanguine
Crescet fertilius barbarico Seges:
Atque insignia Principis
Frugis sanguineæ purpura vestiet;
Foecundisquè novalibus
Maturam segetem gloria demetet.
Et mandata fidelibus
Sulcis flava Ceres foeneris annui
Usuram agricolæ dabit
Respondere tuis fida laboribus.

Hac ſementis adorea
Armato agricolæ ſceptra virentia
Surgent, & diademata
SIGISMUNDE tuis apta nepotibus.

ODE QUARTA.

RELIGIO SIGISMUNDO ARAS PROMITTIT.

QUem bellicoſi prodiga ſanguinis
Bellona Marti cunquè probaverit,
Et patriam objectu cruenti
Pectoris eripuiſſe fortem,
Periculoſam cùm movet aleam
Fortuna rerum mobilis arbitra,
Signarit, & frontem ſuperbis
Vulneribus memorem duelli:
Hic longa fiet fabula poſteris;
Hunc invidendum fama nepotibus,
Proponet exemplum, memorquè
Perpetuo celebrabit ævo.
Prius ſenectam marmora ſentient
Mentita vultus, oraquè fortium:
Aut æra, quæ ſpirant, parentum
Laurigeras imitata frontes.
Hac arte vincet livida ſæcula;
Fugamquè longi temporis, Arctico
Clarus SIGISMUNDUS triumpho,
Et Patriæ Pater, atquè Tutor.
Cui fraudulentis artibus Aedones,
Tandemquè fido milite Concanus,

Et

Et Tartarus velox pudenda
Verſa fuga exhibuere terga.
Te, Rex, ſed olim patria, poſt quater
Emenſa magni ſæcula Neſtoris,
Inter Polonorum ſacratis
Indigetes numerabit aris.
Vivet ſuperbæ fama Poloniæ,
Vivet Poloni gloria nominis,
Vivet JAGELLONUM vetuſtus
Sanguis, & imperio paterno
Fatale nomen. Quem modo Boſphori
Videre ripæ, Thracaque flebilis
Phalangas hoſtiles prementem;
Dum patriæ, populiquè vindex
Virtus, honeſto læta periculo
Denſos in hoſtes tela per & minas
Immittit audentem, fugatquè
Dura ſuper vacuos timores.
Dum caſtra denſis oblita cædibus
Furor cruenta nube ſupervolans,
Et præ LADISLAO minaci
Biſtonias acies fatigat.
Qualis cometes ſanguineum jubar
Spargens, minaci lumine fulgurat,
Abominati Martis ardens
Nuncius, horribiliſquè pugnæ
Exterret urbes. Heu! quibus horrido
Cruentus igni nunciat hoſtium
Turmas? quibus regnis, quibuſve
Bella famemquè minatur arvis?
Talem LADISLAUM agmina Thracia
Videre; quando fulmine ſævior
Ibat per obſtantes catervas
Aemonio inviolatus arcu.

Non tutiorem præſtet aheneo
Lorica textu, aut ungvibus horrida;
Non arte Vulcani gementes
Paſſa Chalybs, Steropas, vel Aetnæ
Recocta, flammas quæ tulit: altior
Quàm quem tuetur numine proſpero
Virtus, & immiſſi volantes
Auxilio Superum manipli.
Devota ferro pectora Thracio,
Hoſtemquè juratum exitiabili
Fruſtrà ſacramento paternis
Auſpiciis animoſus urge.
Urge Scytharum terga fugacium,
Et mæſta Lunæ cornua Thraciæ
Jungi veta; quæ jam maligna
Luce micat, tenuiquè cornu
Subluſtris, antiqui imperii decus,
Et ſpes caducas deſerit occidens,
Septemquè jam ſolvit Triones
Caſſa metu Geticoſquè montes.
Poſt hæc Orontes, aut gelido Ladon
Lavet fluento Biſtonia rotas
E ſtrage fumantes, & arma
Odryſia maculata cæde.
Turcis nec ultrà ſerviet altera
Formidoloſi ripa Boriſthenis:
Sed Barbaris velox Lycormas
Limes erit, trepiduſquè Cydnus.

ODE QUINTA.

FAMA SIGISMUNDO

ÆTERNITATEM POLLICETUR.

AGE præpeti volatu,
Age fama, ſcinde nubes:
Famulantibuſquè nimbis
Zephyros citatiores
Meliore linque curſu,
Aquilonibus protervis
Ocyor, & pigro ſurgentes àëre ventos.
Age Diva, ſcinde nubes:
Et utramque viſe partem,
Orientis, & cadentis:
Via quà citata Solis
Celeres rotas fatigat,
Geminumque Phoebus axem
Circuit, æterniſque laboribus æthera luſtrat.
Age Fama, tende pennas,
Zephyros præi volantes.
Age Fama ſolve lingvas,
Age, & ora pande centum.
Merita loquacitate:
Tibi ſi patent tot ora, (mæ;
Quot vigiles oculi, quot ſunt in corpore plu-
Age Thracios furores,
Age Regios honores,
Prohibe tubis ſilere;
Neque victa laus ſenectâ,
Et inerte nube tecta

Scy-

Scythici indices triumphi
Odryſias olim doleat marceſcere lauros.
Age, garrulæ canenda
Ita ſemper, & ſtupenda
Nova ſuppetant: nec unquam
Taciturnitas moleſta
Tibi claudat ora moeſta;
Oculoſquè curioſos
Sarmaticæ ſemper virtutis imagine paſcas.
Age; Boſphorum rubentem,
Age Viſtulam calentem
Scythico cruore narra.
Cane Tartaros fugaces,
Cane Sarmatas ſequaces;
Celereſque dic POLONOS
Creſcentem Odryſio Lunā minuiſſe Tyranno.

EPIGRAMMATA.

In Stemmata Triznarum & Wolloviciorum.

Lilia, quæ triplici vinxit Concordia nodo
Illa pius Jaculis aſſociavit Hymen.
Ne metuas, triplicem ne rumpant ſpicula nodum,
Neu violent, ſi quod Lilia fædus habent.
Lumina, quæ junxit Concordia, lumina ſemper
Lilia Pacis erunt; Spicula Martis erunt.

In Stemma Ducis Radivilii.

Armiger expanſis quòd ventilet àëra pennis,
Sudantis Patriæ ventilat ille genas:
Quòd triplices exſtante Tubas pro pectore geſtet,
Eſt RADIVILLORUM fama canara Tuba:
Et bene ſe pro corde Tubæ poſuêre canoræ,
Martia ſub magno pectore bella cient.
Armiger ergo tuas jam perge extendere pennas,
Menſuram famæ vix capis ipſe tuæ.

IN NUP-

IN NUPTIIS VLADISLAI RADIVILII

Cum

ANNA ZENOVICIA

PALLAS ACADEMICA

Celsissimo Sponso Testudinem Romanam militarem è quatuor clypeis factam Dedicat.

PRIMUS CLYPEUS

Exhibet annulum è ſtemmate Sponſæ appenſum.

SPONSO PRINCIPI.

Annule, qui noſtras ditabas lumine Ceras
In Radivillæas annule perge manus.
Non in te reſonas diſcurrere juſſimus horas,
Nec volucris volucri ſtat rota nixa rotæ.
Sint procul hinc horæ. tu ſæcla perennia porta,
Perpetis & Fidei nuntius eſto meæ,
Annulus haud meus eſt, qui ſponſo nuntiat horas:
Principis æterno eſt munere digna manus.

SECUNDUS CLYPEUS

Ex iiſdem Sponſæ Zenoviciæ Ceris Alitem offert.

SPONSO SENATORI.

Tu quoquè pullatis velas qui brachia pennis
Ibis in illuſtres Ales amice manus.

Nec

Nec pudeat nigro pectus vestire colore,
Principis & vigiles veste referre notas.
Namquè Senatori munus te mittimus aptum,
Pro Patria vigiles qui trahit usque moras.
Ergo licet referas nigranti syrmate noctem
Principis ex oculis sat tibi lucis erit.

TERTIUS CLYPEUS
Soleam Zenoviciam ponit.

SPONSO HEROI.

Hâc soleâ Moschi gemuerunt æquora campi
Hac refugum fregit Thracia Luna caput:
Calcatas bellator aquas hac senserat Ister,
Hac titubans fixit Patria sæpe gradum:
Hanc Aquilis Radiville tuis, hanc consecro signis,
Hic se belligeram sentiet illa magis.
Nam tuus hanc postquam plantis dignabitur Ales,
Alitis à planta, quid nisi fulmen erit?

QUARTUS CLYPEUS
Crucem Patriam præfert.

SPONSO PIISSIMO.

Fors Radivillæas dum tollit ad æthera tædas,
Et sacra connubii fœdera sancit Amor;
Quinque Palæstinas converso lumine vidit
In Radivillæo stemmate stare Cruces.

Pul-

Pulcher honos, inquit, Radivillo & ſanguine dignus,
Par ſibi cum ſummo ſumere ſtemma polo.
Sextam ſponſa crucem crucibus ſi junxeris illis,
Quàm modò certamen par pietatis erit?

IN INSIGNIA
GENEROSÆ
RUDOMINARUM
DOMUS.

I.

Viderat è bello reducem Bellona Gradivum
Picta triumphali plaudere ſcuta manu:
Viderat & ſculptum clypei ſuper æquore ſtemma
Et Rudominæas prælia flare tubas.
An mihi frater, ait, Mars, an Rudomina videris?
Mars cui tergeminæ reddidit ore tubæ:
Thracius, Odryſius, Gortynius ante vocabar,
Nunc Rudominæum jure vocare potes.

II.

Huc Brontes, Steropesq; mihi, Mars, inquit, adeste:
Et nova Dædaleâ fingite scuta manu.
Accelerant jussum Brontes, Steropesquè laborem,
Artificiquè novant Dædala scuta manu.
Rudominæa cavo finguntur stemmata scuto,
Inquè suis medius dux Rudomina notis.
Tunc Mars: si paribus nuper bellavimus armis,
Quid refert, an Mars, an Rudomina vocer?

III.

Cerne tubas, sed cerne tubas sine carmine Mavors;
Nimirum lætos dedidicere sonos.
Cerne senem sed cerne senem sine carmine, cygnum,
Nimirum functo collachrymatur hero.
Ipsa tamen Dominum laudare silentia possunt:
Atque verecundus laude carere Pudor.
Quid tuba, quid noceat laudis sine carmine cygnus?
Dum tacet illa, sonat: dum silet ille, canit.

Quartum, horum Epigrammatum, quod incipit: Tres nuper Divæ. *insertum est Libello Epigrammatum vivente adhuc Auctore.*

IN FU-

IN FUNERE JOANNIS ET GEORGII *RUDOMINARUM* NUMINE NEPOTUM.

I.

Sera nepotibus cura.

Hæccine, prô ſuperi, ſerorum cura Nepotum?
Hæccine promiſſi vota ſecunda ſenis?
Uno eodemquè die, longis & Avunculus annis
Dignior, & grandi funere fertur Avus.
Cæca feroxque ſimul, crudelis & improba Parca
Vel ſolum, ſcelus eſt grande, tuliſſe ſenem!
Parcere debueras longis ut Avunculus annis
Creſceret, & grandi, grandior eſſet Avo.

II.

Silere neſcia Pallas ſociata Gradivo.

Maturus, pleniſquè ſenex, jam fertilis annis
Extremum læto clauſerat ore diem.
Lætior infereâ Lacheſis prorupit ab æde,
Et vixiſſe bonum, ſparſit in urbe, ſenem:
Non tulit invidiam facti, indignata Minerva,
Juſſit & in medio hæc verba tonare foro:
Scilicet hic moritur, caros qui Palladi Alumnos,
Qui natos vobis Martia caſtra dedit!
Ne metuas, vivæ, Rudomina, ſilentia, Famæ,
Nec Mars, nec pſaltrix Muſa ſilere poteſt.

III.

Tricipitis invita ſauce.

Quos cernis reduces Lituos, prænobile ſtemma;
    Eſt Othomanigenis nobile digma plagis.
Vidit, & invidit venatrix perſida Luna,
    (Dum creperâ ſtreperent prælia dira manu)
In Rudomineis decus hoc ſplendeſcere dextris,
    Et rapere innumeras, auſa cruenta, dolis.
Marte ferox, contrà, dextraq; Georgius acri
    Obſtat, & in pulchram proruit ultro necem.
Hoc patriæ (moriens inquit) deducite pignus.
    Non tetigit noſtras Turcica Luna Tubas.

IV.

Patruo magno, ſeni longævo.

Me miſerum, cui ſors ſanctæ laudata ſenectæ,
    Non ſiccat madidas, laude favente genas.
Hi non culpatam tollunt ſine crimine vitam;
    Hi memorant largas, in pia penſa, manus.
Longa perennati numerant hi luſtra Parentis;
    Innumeros, gaudent hi ſuperaſſe, ſenes.
Sat famæ vixiſſe ferunt, Patriæq; ſibiq;
    Unaq; concordi, vox ſtat in ore, *Satis.*
Sit ſuper, atq; ſatis, quod Te vixiſſe putatur
    Si ſatis eſt aliis. At mihi, crede *Parum.*

V.

Alibi loquor.

Vix Othomanigenâ ſuccifum falce cadaver,
    Fraterna, in Patrios, cura reduxit, agros.

Parva

Parva ſalutatum, concurrit turba Nepotum,
Cæperat & bleſo quærere multa ſono:
Senſit ubi mutum, nec reſponſare paratum,
In lachrymas ſic eſt, mæſta ſoluta, cohors.
Heu nos! heu! inquit, quis Patrue noſtra reviſis
Tecta? Ubi vox, caſto, plena lepore manet?
Non ſileo, non, inquit, ego. Vox lapſa per auras;
Tota in Valachicis noſtra loquela plagis.

IN NUPTIIS JOANNIS RAKOVII *cum* EUGENIA TYSZKIEVICIA EMBLEMATA.

I,

Luna Tyſzkievicia Navem, Lilia Paciana malum Crucibus Rakoviis à latere ſtantibus exprimunt. ſubtus tres fluvii & piſces Naruſzevicii. ſupra Stella Tyſzkievicia.

Epigraphe

AD VELLUS ÆTERNITATIS AUREUM.

Quis tàm concordi ſociavit ſtemmata nexu?
Effingit tutam ſubdita Luna ratem.

Pulchra

Pulchra ſubire vices dignantur Lilia mali,
Tutatur geminum crux beneſida latus.
Et fluvii ſubter currunt, pecudeſq; marinæ,
Anthia ſtat duplex, torva balæna fuge.
Nobilis ô Argo, Litalæ fers lumina terræ,
Stella tuus Typhis, tu tibi vellus eris.

II.

Cruces alatæ literam Pythagoræ efficiunt, & Lunam portant ad domum Gloriæ, ſtellis præviis.

Crux alata vehit ſub amæna palatia Lunam,
Perpetuos ſcribit Gloria ſerva ſaros,
Triplex ſtella cruces rutilo diſcriminat igne,
Pithagoræ è crucibus litera nata venit.
Prævia ſtella viam, Crux præpes, Lunaq; frange
Ardua ſpinoſum gloria veſtit iter.
Non via te vincet, crux præpes firma; nec error,
Fallere ſydereæ non didicere faces.

III.

Gygis annulus oculatus, rotæ Fortunæ incluſus, & annulus Sponſorum cordi incluſus oculato, crucibus ac ſtellis eſſultus.

Inſertus teretem Sortis, Gigis annulus orbem
Poſſidet, adſpectat palpebra crebra diem.
Huic licet & Lydium dederit Rhamnuſia ſceptrum
Præterit, & cæcum cæca dat eſſe Gigen
Annule

Annule tu felix bona quem Concordia ſtruxit,
Lucidus in tuto corde micare potes.
Eſt teres, at Dominam non ſuſcipit ille volucrem,
Duplex quæ fulcit crux, probat eſſe ſuum.

IV.

In campo Concordiæ ſuper calumnas adamantinas duo annuli aurei; ad quorum unum Luna, alterum Crux collimat & accipit.

Epigraphe

HUC META.

Candida, quà viridi gaudet Concordia campo,
Gemmatum criſpat bina columna decus,
Annulus has duplex fulvo ſpectabilis auro
Occupat, & magnæ munera Sortis habet.
Cynthia carpit iter volucri pede, detinet unum,
Crux volat, atq; alio condecorata redit.
Comprime crux celerẽ, bona cõprimeLuna volatum
Huc curſus ſatis eſt, huc via, meta, ſcopus.

EPISTOLÆ
STANISLAI ŁUBIENSKI
EPISCOPI PLOCENSIS

Ad

MATHIAM CASIMIRUM

SARBIEWSKI

Societatis JESU

VLADISLAI IV, POLONIARUM & SVECIÆ

REGIS

THEOLOGUM & CONCIONATOREM.

&

HUJUS ad ILLUM.

EPISTOLA I.
SARBIEVIO Soc: JESU.

SErò respondeo literis tuis, æger eram acerbissimo vexatus morbo, itaq; amicorum officiis totis sex mensibus vacare mihi non licuit, & nunc

licet morbo levatus esse videar, residuis tamen ejus adhuc ita urgeor, ne pleno recuperatæ sanitatis fructu frui possim. Sed à te, unde hæc de me? Egone nimis mediocriter in stylo versatus audaci temeritate Historiam scribendam susciperem? alii faciant qui præter excellentem eruditionem, etiam abundant otio; mihi à curis nullæ feriæ & pleraq; in hoc genere à me dum junior essem scripta, nunc accuratius examinata obscuro addixi carceri. Tua divina Pöësis Romanis quoq; probata auribus, mihi valdè placet: sic te lyricis vatibus inseris, ut inter Principes referri meo quidem judicio possis, sic argutè epigrammata nectis, ut sacra eloquia ex quibus materiam scribendi petis, dulci condita sale, animos nostros penetrent, Monumenta ingenii tui non imber edax, non aquilo impotens, aut innumerabilis annorum series poterit diruere. etiam vitâ functus vives, ac per ora hominum incedes sublimi feriens sydera vertice. Miror à tuis te, ab amænis Musarum campis ad obscura Philosophiæ dumeta traductum, & vereor ne plerisq; optimis vestrorum ingeniis aliquid inde detrimenti eveniat, quod studia ad quæ nati sunt, deserere jubeantur. Sed tu ad omnia præclara natus, ita Philosophiam tractabis, ut partam scribendo gloriam tuearis. Vale, nec dubita te à me amari, Deumquè precare, ut mihi difficillimum munus gerenti auxilio cælesti præsto esse velit. Viscoviæ die XXIV Februarii. Anno MDCXXX.

EPI-

EPISTOLA II.

SARBIEVIO Soc: JESU.

NE tibi, me diu ſilente, obrepat ſuſpicio mutatæ meæ erga te voluntatis, tribus verbis me officii mei memorem eſſe, tuiquè ingenii præſtantia delectari, ac deniquè quid agas, & in quo ſtudiorum tuorum conatu occuperis ſcire velle ſignifico, meumquè amorem tibi defero, quem, ut candido & religioſo excipias animo, diligenter à te peto. Vale in Domino, meiquè ad altare Dei memor ſis. Ex Jablonenſi prædio meo. VIII. Idus Septembris. Anno MDCXXXII.

EPISTOLA III.

SARBIEVIO Soc: JESU.

TAnquam non unus ex meis eſſes ita ſiles Sarbievi? neſcis eos qui ſummam rei tenent, ultrices decoris ſui habere manus & bilem in naſo: Sed ego hâc non utar, ne Pòétam irritem; nam hoc genus hominum facile furore corripitur, & audet quod olim gigantes, vel ipſum Jovem ſummo deturbare cælo. Meum te dixi, nam hic natus es, ubi me Deus poſuit paſcere gregem ſuum, etiam te non dico Vilna, ſed vel ipſa Roma adoret,

etiamsi in tuas laudes, totum conspiret Belgium, quamvis deniquè divinam ingenti tui vim, me annuente, magna pars orbis miretur, tamen diffiteri non potes, quin meus sis. Hæc ipsa Societas, cui nomen dedisti mea est, nam voto institutoquè suo obsequio eorum qui plus in cætu fidelium posse existimantur, se obstrictam esse profitetur. Es igitur in censu meo, exigerem à te fructum laborum tuorum, nisi tu prior ultro solvisses quod vix debebas. Nomen meum magnis inseruisti nominibus, & iis ornasti laudibus, quæ non me, sed magnos decent viros, ita tamen eas dulcedine Carminis tui depinxisti, ut me quoq; decere videantur. Quo nomine quid tibi debeam, non facilè explicare possum, dicam tamen liberè, me gloriolâ non multum affici, eorum tamen qui magno judicio res æstimant, optima erga me voluntate gaudere; nam expertem me humanitatis putarem, si in me ipsum inhumanus essem. Silere te initio literarum mearum questus sum, nam unus & alter annus abiit, exquo nullam significationem dedisti, quo animo erga me esses; dices me quoquè pari teneri culpâ, sed surdus esses, ni vel ipsâ nunciante famâ audires, me publicis negotiis immersum, morbis & ætate fractum vix spirare potuisse. Non semper in nostra potestate situm est, ut erga amicos officio defungamur. tu quamvis alieno obstrictus imperio videaris, liber es, qua libertate Christus te donavit, in qua ut lætus felixquè vivas, meiquè memor sis, ille præstet qui omnes salvos esse vult. Vale in Christo charissime conserve & frater. Dat. Broroviæ. mense Augusto 1633.

cfr. Mss. Oss. 157 Bl. 313 b.

EPISTO-

EPISTOLA IV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

PAulo vehementiùs proximis literis accuſaſſe videri poſſum ſilentium tuum, itaq; modeſtiùs deinceps agam, nec proprio impetu in te ferar, ſed pares tibi opponam, qui tibi ſtimulos admoveant. nec aliundè petam laudis tuæ æmulos, niſi ex hac ipſa, cui inſertus nomen dediſti, Societate. Carmen habes ſcriptum dicatumq; iis, qui una Siradienſi terra orti, aliquantis pereminent, in hoc agmine, ego poſtremus, ut ſum ita eſſe cupio; idem ego tamen hujus carminis authori author fui, ut ſcriberet: nec cauſam require, quis enim laudari non deſideret, maximus quiſquè majora cupit, & volitare per ora virûm. Non feriò dictum putes, mi Sarbievi. agnoſco ego me tum deprimi, cum talibus gloriolæ deliciis lactor. Viri boni amici noſtri, cum nihil omnino ſimus, his nos ſalibus Magnorum virorum cenſuræ propè deridendos propinant amore non judicio. Legi & antea & iterum novæ editionis tua carmina, divini ingenii tui fætum. ad eas laudes, quibus viri eruditi nomen tuum æternitati dicant & conſecrant nihil addam. verè & eruditè illi de te ſenſerunt. Subſcribo illorum ſententiæ ſine exceptione; adjicerem aliquid de meo, ſi quid tale eſſet in penu, quod tuo decori inſerviret. Æquo feres animo. te à me non reprehendi ſed moneri. Divi, Adalbertus, Staniſlaus, Sigiſmundus, tot alii, qui vel ex gente noſtra orti, vel olim Patroni a noſtris adſciti, pri-

mis

mis carminis tui apicibus inserendi videbantur. Pultovia, ubi primum Musis Sacramentum dixisti, ne uno quidem verbo in tuis scriptis nominata. Huviorum rex Narvia, Bugus noster, Vistula, melior quam Tagus auriferax, quasi tibi ignoti praetereuntur. Masovii, quorum ê sanguine nobile genus ducis, silentur. Siletur Stanislaus Carncovius, Archiepiscopus Gnesnensis, qui quidquid habuit in Societatem vestram effudit. Silentur alii qui prima per Poloniam fundamenta jecêre, Collegiorum vestrorum. Joannes Zamoiscius perpetuâ felicitate felix semper hostium victor, filius ipsius, Martis & Minervae alumnus, Stanislaus Koniecpolius Polonici exercitus supremus Moderator, quem & secundae & adversae res ita erudierunt, ut utriquè fortunae par esse possit. Quid dicam amplius, SigismundusRex, ingens ille campus excurrendi in laudes magni Principis, sive pietatem ejus spectes, sive vel belli vel pacis artes admireris, semper magnus. Sed cohibeo animi mei impetum, ne te non admoneri, sed reprehendi meritò, queraris. Si vile quid pangeres, & non sacram tuam Pòésim universus stuperet orbis; si non in Polonia natus esses, & Patriae nihil deberes, ferrem aequo animo exteros tuis potissimum inferi scriptis. Italos Italis, Lithvanos Lithvanis non invideo; Masovios suae oblivisci originis aegrè fero. satis haec innuisse fuerit. Vale charissimè frater, in hoc, quod ambo Deo debemus obsequio, Commilito meus. In arce nostra Brocoviensi. XII. Calendis Septembris. Anno MDCXXXIII.

EPISTO-

EPISTOLA V.

SARBIEVIO Soc: JESU.

PUto me isthîc apud vos falsa opinione in eorum relatum numerum, qui vixerunt: nam si vel tu ipse me vivere crederes; si non literis, saltem fratrum huc commeantium ministerio salutationis officium mihi impenderes. Sed ego, ut me vivere ostendam, mortuorum Episcoporum Plocensium vitas à me scriptas tibi mitto, & tuæ simul submitto censuræ. Corrige, seca, reseca, prout libuerit, æquo animo feremus. Quòd si iste labor noster non omninò tibi displicuerit, non meo proprio ausu, sed quia meus Simon Pruscius te omnia meâ causâ facturum spondet, peto à te, ut quibuscunquè versiculis, vita jam functos Antistites ornare volveris, quamvis nec tua manu, nec tuâ operâ; scio enim te esse occupatissimum, sed eorum, qui ex tua divinâ Pòési acuminis tui fontes feliciter suxerunt, industria id quantum tibi videbitur præstes, sivè uno pòemate omnium vitas complecti volveris, sive unumquemquè proprio ornare Epigrammate, tota ista res sit tui arbitrii; sive denique aliis curis gravatus hunc laborem suscipere detrectaveris, scito me æquissimo hoc ipsum laturum animo. Nam nequè hæc mea tantopere ornari volo, nec tibi amico meo svavissimo, cæterùm gravioribus studiis occupato, laborem, nisi quem ferre sponte velles, imponere. Commendo me amori & sacris orationibus Reverentiæ V. Brocovio V. Octobris. MDCXXXV.

EPISTO-

EPISTOLA VI.

SARBIEVIO Soc: JESU.

MOs eſt diuturnâ ſervatus conſvetudine, ut ij qui recentes ad aulam veniunt, non niſi tertio anno ſuperbire, & veteres amicos contemnere debeant. Si fortè hactenus nemo fuit, qui te nuper aulæ adſcitum ejus rei nomine commonere auderet, ego ex ijs qui tibi optimè cupiunt, non ut Epiſcopus, exempti enim iſtîc exiſtimamini, ſed tanquam amicus moneo hortorquè; ut ſi diu in aula eſſe vis, ſerò admodum aulicorum mores & jura uſurpes, ſemperquè memineris, ijs qui in aula vixerint, iterum ad veterem conſvetudinem, vitæquè rationes redeundum eſſe. Hæc quidem jocatus ſum, nam te nihil minus, quàm aulæ obnoxium eſſe velle certò ſcio, te tamen Varſaviâ ita diſceſſiſſe, ut ne uno quidem verbo me appellare volueris; id ut verum fatear, moleſtè fero. Vale mi Sarbievi, meiquè ad altare Dei memor ſis. E Pecinienſi prædio.

EPISTOLA VII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

ITerum requiro à te officium, iterum literis moneo, ut me tuâ memoriâ non excidiſſe paucis literarum apicibus teſtatum facias. Dices, noli

mihi

mihi molestus esse, ostium amicitiæ nostræ clausum est: ego certè pulsare non desinam, respondebis mihi, non ut amicus, sed vel propter improbitatem meam, vel iratus non silebis. Nihil à te peto quod publica negotia concernàt, non quid sub Arcto Rex gelidæ meditetur oræ; suffecerit, si de te ipso me certiorem reddideris, & utrum tibi veteres tuæ eruditæ exercitationes mente exciderint? totus ne jam sacris sermonibus faciendis deditus es? an aliquid & tibi & Musis temporis impertiri liceat. Fateor hæc quoquè secreta esse; sed tua, quæ mihi ut olim & ipsa amicitia, petere debent. Vale in Christo, meiquè memineris. E Pecinensi prædio meo. XXIV. Februarii. MDCXXXVI.

EPISTOLA VIII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

VEl ipso adamante si durior esses, tot à me monitus, & prope flagitatus literis, officio erga me amici defungi, & non inimico erga me esse animo, jam olim significare debueras. Fateor me quoquè nimis importunè tecum agere. Sed si tacerem, si te prope flagitio non appeterem, æternùm sileres. Non repeto à te ea, quæ olim spopondisse videbaris, nec te in aliud vitæ genus translatum, & aulæ adscriptum novo onere gravare volo, novi enim vestros animos, novi spiritus supra nos elatos: dat animos aula, & ipsa felicitas

licitas ad nutum obſequens. Meminiſſe tamen te decuit, & olim te, quaſi unus ex nobis eſſes, fuiſſe, & mox accidere poſſe, ut iterum ad nos redeas, & pari nobiscum cenſu cenſearis, rationeſq; ictæ nobiſcum & intermiſſæ amicitiæ arbitrio bonorum virorum reddas. Multum tibi calculo computatorio laborandum erit, ut abſolutoriâ notâ, ne quid in te graviùs decernatur, libertatem conſequaris. Vale frater chariſſime meiquè ad altare Dei memor ſis. Plociæ XIX. Martii MDCXXXVI.

EPISTOLA IX.

LUBIENIO ANTISTITI.

FRuſtra ſim, ſi ſilentii mei patrocinium aut ab invaletudine qua ſæpiùſculè tentor, aut à perpetuis ſermonibus ſacris, aut à Lechiade, quam iterum recudo, accipiam. Tanta ſunt beneficia erga me tua, ut vel in lethali ſtrato, & ipſam agens animam, quicquid otii & virium eſſet ſuper, tibi debeam. Aliæ ſunt cauſæ, quæ mihi calamum è manu excuſſerunt. Popularis iſtud lingvæ ſtudium, in quo nunc neceſſariò verſor, Latinos apud me fontes adeò arefecit, ut orationis tuæ flumini, quæ tibi in epiſtolis dulciſſima eſt, quod refundam, nihil habeam. Hæc cauſa, ſi ad officia reſpectas, eſt exigua, ſi ad pudorem meum, eſt maxima:

xima: certe apud te vel ipſo candoris & ingenuitatis meæ numine facilè veniam impetrabit. quam enim vera ſit, ex paucis iſtis lineis barbarè ſteriliterquè ſcriptis, omnino agnoſces. Præterea argumenta ſcribendi, tanta erant, quæ calami mei arena capere non poſſit, & metuebam ſanè, ne ſi apertiùs ab aliis ſcripta acciperes, me aut ignorantiæ, aut exactæ nimis prudentiæ apud te accuſares: & tamen omittere illa, ſi ſcripſiſſem, vix potuiſſem. Adeo ingenuus ſum, ut officioſis & levibus quibusdam ſcriptis, alia continere animo, quæ velle te ſcire autumabam, non potuerim. Nunc quando me officio iſto ſolvis, crebras à me epiſtolas habebis, & ſi diu vivam, profectò me tibi calculo computatorio exſoluam: ſin minus, mortuus ea ad cælites perferam, quæ pro Eccleſia & Patria præclarè geſſiſti, & adhuc agis. Vale Antiſtitum optime, decus & ornamentum Poloniæ noſtræ. Vilnæ ex Collegio noſtro XIX. Aprilis. MDCXXXVI.

EPISTOLA X.

SARBIEVIO Soc: JESU.

IOcari non libet, cum morbi acerbitas corpus diſcrutiat. nihil quidem periculi imminere videtur, ſed hoc Clima ætatis meæ, quod tribus & ſexaginta annis circumſcribitur, omnia nobis ſuſpecta reddit. Lechiadem tuam videre avebam, vel prima

ma ipſius initia primo delibare guſtu: non dubito eam & gravi & ſvavi decurrere verſu; ſed vereor, ut mihi tot jam annos nato, amplius præclariſſimis ingenii tui monumentis frui liceat. Elogia Epiſcoporum Plocenſium, non ſingula ſingulis verſibus exornari cupiebam; ſuffeciſſet Ode aliqua, quæ labori & conatui meo, more tuo applauſiſſet. Sed & ipſa Elogia, & ego quoquè, nec æſtimari volo, nec magnopere laudari. Vale in Chriſto frater amantiſſime, & ad altare Dei memor mei ſis. E Gorinenſi prædio meo. Calendis Maii. MDCXXXVI.

EPISTOLA XI.

SARBIEVIO Soc: JESU.

AD ſeptemtriones receſſiſtis, & ibi gelu adſtrictus eſſe videtur ille noſter Maſoviticus tepor, vel calor potius. Lucet vobis (tibi dico Maſovio meo & Lithuanis) Sol & à nobis quodam modo receſſiſſe, in ipſoquè æſtivali Solſtitio, radios ſuæ clementiæ à nobis removiſſe videtur. Sed idem ipſe nobis aliquando fulgebit. Paucis hæc innuiſſe ſuffecerit. In Polonia manere oportet, aut beatum non dici. Cætera Simon Pruſcius dicet. Nos veſtra feſta, veſtra gaudia, ad quæ invitamur, ardentiſſimis proſequemur votis,

& ita

& ita abſentes corpore, vobis animis jungemur Longè pulchrior in conſpectu meo apparet Lithuania, ſi tota, ut olim Catholica eſſet. Tu qui, publico nomine, & quodam modo Regio ore, illo favente, illo jubente, legitimè ad aulam approbantibus nobis omnibus, qui in Eccleſia aliquo loco eſſe videmur, vocatus, ſpargis ſementem Evangelii, utere jure tuo, & hanc peſtem elimina; quod quidem te facere magnâ animi mei lætitiâ accepi. Vale amantiſſime in Chriſto frater. Poltovio XXI. Junii. MDCXXXVI. 16 Julii

EPISTOLA XII.

LUBIENIO ANTISTITI.

AD ſeptemtriones nos receſſiſſe & gelu permagno adſtrictos quereris? nos verò iſtîc æſtu penè Italico laboramus. Sed tu animorum fortaſſe frigus aliquod reprehendis. Sed nequè hoc accuſare debes, in me præſertim, qui te, Solem Patriæ, in corde gero. Ibi tu ſemper ſolſtitium habes, & nunquam occidis. Jam verò & in multorum memoria atquè adeò & ore amiciſſimo verſaris. Doctrinam nuper tuam & eloquentiam magno in conſeſſu Gembicii omnes, ac pleriq; Lithuani, qui bonarum literarum guſtum aliquem habent, ſupra cæteros extulêre. Ita cum te abſentem

ſentem à nobis exiſtimas, præſentiſſimus es. Vitas Epiſcoporum Plocenſium à Joanne Jamielkovio recepi, & iterum reguſto. ad hanc porticum pulchram, brevi ſtemma aliquod appendam. Annales Regni, ne ſupprimas oro. laudantur à plurimis, ab omnibus deſiderantur. Si ſuppreſſeris, multum poſteris debebis: ſi dederis in lucem, multum illi tibi debebunt. De concionibus contra fidei noſtræ hoſtes habendis, & hac peſte eliminanda, me mones, & meritò. Sed utinam, ut ùt. zelo, ita ego eloquentiâ valerem, ſtudiô certè quantûm poſſum ac curâ contendo, ac magis etiam tuâ epiſtolâ accenſus, & pietate animatus, contendam. Vive Antiſtitum noſtrorum ſapientiſſime, & me, perpetuò tuum ama. Vilnæ ex Collegio noſtro. XVI Julii. MDCXXXVI.

EPISTOLA XIII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

ID ſcilicet decuerat, ut ego primùm famâ nuncia de tuo honore, ſacriſquè Laureis intellexerim, quam tu pro noſtra inter nos amicitia id mihi ſignificares. Exiſtimaſti fortè me exinde exiguam capturum lætitiam; ſed nihil mihi gratiùs accidere potuiſſet, quam ſi id te ſignificante, accepiſſem. Gratulor itaquè & tibi & Societati tuæ cui adſcriptus es, magis etiam Eccleſiæ Dei, quæ excel-

lenti

lenti doctrina tua & illustratur & majora accipit incrementa; gratulor inquam, tibiquè non alia præmia, quàm quæ è cælo venire possunt, voveo. Sic dum tu non modò augustos titulos, sed te ipsum etiam religiosâ pietate despicis, novis ornaris coronis, cælestes coronas parituris. De sacris concionibus quid ego te moneam? laudandus es potiùs quàm monendus; feliciter enim hoc decurris stadium, humani generis hoste, & ipsius asseclis frustra obnitentibus & obstrepentibus. Hæc ut tua sit perpetua gloria, palmamquè defensæ & promotæ Religionis Catholicæ obtineas, voto me obstringo. Meos Episcopos Plocenses, si vel unâ eruditi carminis tui strophâ notaveris, gratissimum id erit mihi, sed multò gratiùs, si mei in sacris sacrificiis ad altare Dei memoriam recolueris. Vale in Christo charissime frater. Viscovio Calend. Augusti MDCXXXVI.

EPISTOLA XIV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

TUi erga me animi candor ita mihi notus est, ùt vel ipsam officii cessationem, te etiam tacente, non aliter interpretari possim, nec in aliam accipere partem, nisi ut credam tuis occupationibus id imputari debere, si quando diutiùs siles. De me ipso conjecturam capio, nam quamvis dum animum

animum noſtrum ad functiones muneris noſtri adjicimus, non multùm in eo genere præſtamus, ſemper tamen occupati nobis videmur. Te verò qui quotidiè excellentis ingenii tui tendis & intendis nervos, qui ad ſacras conciones faciendas eximiæ eruditionis tuæ vim attollis, quis ſuſpicari poſſet te non eſſe otioſum; & licet Spiritus Sancti flammâ te efficaciter accendi, atquè ab humanis cógitationibus abſtractum in cæleſti ſchola erudiri non dubitem; tamen ut ſimpliciter dicam tibi quoquè laborandum eſſe video, & variis feſſum curis, mihi & amicis vocare poſſis. Bonis igitur avibus Viſcoviam pete: apertas fores non ſolum domus meæ, ſed & animi mei omnes aditus in amorem tui effuſos reperturus. Nec Pſtroconius noſter quidquam ſuſpicetur, quod alienum videri poſſit à noſtrâ amicitiâ & fraterno amore. Sed quid hoc eſt? quodue Patriæ noſtræ fatum, cujus ipſa ferè fundamenta & ſalutis publicæ præſidia continuatis funeribus, quaſi ſedibus ſuis mota, ad ruinam incumbunt. Magnorum ſanè virorum interitu, quos ætate diſpares in unam urnam conjeciſſe videtur fortuna, nos lugere oportet, ſi ut ſcribis. Sapieha quoquè magnæ ſpei juvenis, in eandem venit ſortem. Te quidem vatem eſſe non ignoro, ſed dum talia nobis ſcribis, malim te vaticinari quàm vera dicere. Te ſupreme rerum Arbiter ſupplex oro, ut non ſolum me vivo, ſed & vitâ functo conſerves incolumem Patriam meam Vladiſlao Rege feliciter illam regente, & victricibus armis ab immanium hoſtium incurſu fortiter defendente. Hoc voto finis ſit epiſtolæ meæ. Vale, Deumq; pro me precare. Pultovio XI. Calend: Januarii. MDCXXXVI.

EPISTO-

EPISTOLA XV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

IN vicinum vicini mei rus, scilicet dum Varsaviam properas, te secessisse intellexi. An non & hæc injuria? non ita blandè tractatus, sed tamen commodè habitus noctem hanc mecum egisses. Brevi nos simul fore spero, & mutuas expiaturos culpas: præsidebit judicio amicitia nostra, quæ in quamcunquè partem sententiam tulerit, alium judicem non requiremus. Valere te jubeo, & mei memorem esse. Viscovio VIII. Idus Januarii. MDCXXXVII.

EPISTOLA XVI.

SARBIEVIO Soc: JESU.

NIsi forte tibi Neniæ, vel funebres meditationes obstiterint, teq; à Musis tuis sevocaverint; existimarem te in eo, quo frueris otio, facilè præclaram aliquam Oden elucubrare posse. Quòd si potissimum eò omnes tuos conatus contuleris, ut defunctum Heroem nostrum doctè & svaviter laudibus efferas, laudo, & si nulla alia lucubratione tua onustus ad nos, nisi eâ, quam pro concione dicturus es, redieris, æquo feremus animo. Eligendo Judici Territorii Ciechanoviensis crasti-

na dies dicta eſt, eam ex voto noſtro ceſſuram arbitror, ne quis prætereà in aula prior & potior ſit, & hactenus dedimus, & deinceps daturi ſumus operam. Vale in Chriſto dilectiſſime. Viſcovio V. Idus Maii. MDCXXXVII.

EPISTOLA XVII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

PUto te non adeò venationi deditum, ut his cæli caloribus, & urente canicula velis per campos indagare & inſequi feras: nec libris quidem hoc tempore inſudandum eſſe cenſent ſapientes. Si ſcires quâ ego hic aurâ fruor, properares ad me curſu vehementiſſimo. Bugus, deliciæ noſtræ, ipſas alluit domûs feneſtras, ac ipſum eructat Zephyrum, hunc ore haurimus, ejus jucunda tepiditate recreamur: haurimus interdum & vinum modicè glacie refrigeratum: nec zythus abeſt benè coctus & ad proportionem ventriculi noſtri accomodatus. Adeſt Pruſcius noſter, convictor meus. ſi tu venire volueris, cumulabis lætitiâ expectationem noſtram. Excluſis curis & ſolicitudinibus liberè hic vivitur, nec ullus aeris campani ſonus rumpit ſomnum, etiamſi ſub ipſam meridiem dormiamus: prandium tamen ruſtico more coctum nos expectat. Ita læti nobis alternantur dies, non abſq; tamen mortis memoriâ, quam mihi Pruſcius meus ventu-

venturam ſæpiùs inculcat. Tu velim adeſſes, qui inter vates hujus ſæculi primas tenes partes, aliquid nobis alacritatis adferres, ne omnino perpetuâ mortis meditatione angeremur. Vale in Chriſto obſervantiſſime frater. Brocovio VI Calend: Julii. MDCXXXVII.

EPISTOLA XVIII.

LUBIENIO ANTISTITI.

EGo verò in hac tanta Brocovii tui amænitate, nihil doctrinâ tuâ amæniùs, nihil lætiùs video, quam tu ſingulari ſemper humanitate condire ſoles. Nam ut Bugus deliciæ tuæ, leniter fluat; leniùs tamen tibi, vel in hac ipſa tua epiſtolâ fluit oratio, ut egelidos afflet Zephyros: nunquam tu illos tamen tàm avidè excipis, quàm ego dulcem quandam & in ætate tuâ recentem eruditionis tuæ auram capto. Quare non properaſſem modò ad te, ſed volaſſem etiam illis alis, quas mihi tu ipſe addidiſti, cum invitaſti. Sed enim quinæ hujus ſeptimanæ conciones me iſthîc invitum & ad rus iſtud tuum anhelantem tenuerunt. Cæterùm cùm potero primùm, veniâ Regis mei, ad te Muſarum mearum Præſidem ac judicem advolabo. Vini glacie refrigerati, & lenis zythi mentio me recreavit; hoc præcipuè Varſavia caret, hoc ipſa Varca, quæ eo dementiæ venit, ut zythum ſuum vinum exiſtimet, adeoq; & lymphâ diluat, neque

 frigi-

frigidâ allatitiâ opus eſt, dilutum in menſa ponitur. Dignus profectò eſt prolixâ aliquâ Andreæ Critii Palinodiâ. Heri Princeps Caſimirus Viennam, Vice Cancellarius Cracoviam, abiere. Supremus quoq; Theſauri & Cameræ Præfectus, abituriunt. Te verò felicem, qui nunc & abes à curis publicis, & tuas pulcherrima amænitate demulces. Nam iſti, dum negotia aut fugiunt, aut quærunt, pulverem & ſolem bibunt, & quadrigis poſſunt malè vivere: tu è propinquo rides omnia, teq; ipſo ac tuis beatus es. Ne modò Pruſcio iſti, Aſcetri ſevero, & ſæpiùs tibi mortem inculcanti nimium credas. Ipſum enim Pruſcium nuper ego per ſomnium vidi exanimem. Vates ſum, meoq; illi nomine dicas, ne diem, quem aliis inculcat, ipſe habeat. Mitto illi Merlini vaticinium, quibus auſteras iſtas diluat cogitationes, & judicium ferat, operæne pretium fecerim, cùm ſpecioſô titulô captus, in libellum decem nummos effudi. Vale Eccleſiæ, Patriæ, literarum decus unicum. Varſaviæ.

EPISTOLA XIX.

SARBIEVIO Soc: JESU.

CUm à tuo diſceſſu nonnihil mœroris concepiſſemus, Deus totius conſolationis author, conſolatus eſt nos in adventu Martini fratris mei; in cujus complexu interim acquieſcimus. Tuâ præ-

præſentiâ cùm nobis diu frui non licuiſſet, ſperabamus tamen te ſponte facturum, ut vicariâ literarum operâ, te nobis ſæpiùs repræſentares. Sed ut video, non ſoles ſcribere, niſi provocatus: cùm tamen ſi rectè rationes officiorum ſubduxerimus, ea obſervantia, quam Sacerdotes Epiſcopis debere videntur, perſvadere tibi poterat, ut ad ſummum tribus ſcripturæ lineis, ſalve & vale, nobis denunciares. Cæterùm, hæc joco ſcripta exiſtimes, neq; enim ignari ſumus, quibus negotiis occupatus diſtinearis: quibus dum operam impendis, ſaltem ad altare Domini, noſtri memor ſis, & vide quàm molliter, quàmquè paternè tecum agam, cùm te graviori levo onere; ut leviori, ſed mihi magis commodo munere, tuo erga me officio defungaris. Vale in Chriſto chariſſime frater. Brocovio V. Calend: Auguſti. MDCXXXVII.

28 Lipca

EPISTOLA XX.

LUBIENIO ANTISTITI.

GRavis, neq; mihi facilè tolerandus error tabellionis Illuſtriſſimæ C. V. effecit, quominùs literas ad te, cui vel ipſum ſangvinem ac vitam pridem devovi, tradere poſſem. Modzelevius iſte fuit, qui me ſex horis Varſaviam præceſſit, & noſtros haud grato rumore affecit, me Crągis extremum agere diem, gravi ac repentina febri adeò, ut de Medico ſubmittendo ageretur. Superve-

perveni veſperi ſabbatino, ſtatimq; Soteria ab amicis, imò ab ipſo Rege accepi, apud quem in concione ipſo die Dominico pani cornua deſregi, quæ illi commune gentis noſtræ proverbium affinxit. Nihilominùs Modzelevius iſte me non convenit, & ut nunc primùm à Zdziarſcio accepi, me tres dies lethaliter decubuiſſe jactavit, quibus ego Varſaviæ ſanus ab omnibus ſalutabar. Adeò tabellarii iſti veſtri figmenta in promptu habent, quibus deſidiam ſuam excuſent. Neq; tamen & meam omnino excuſo, qui tabelliones alios non multùm quæſivi, nam iſti qui apud Cancellariæ Præfectum poſteà fuerunt, apud me non fuerunt. Ego certè abſq; literis dimiſiſſem neminem. Terrores illi Turcici heri primùm vires ſumpſerunt. Scribit Regi Koniecpolius per Danubium traiici copias duplici loco. Itaq; literæ hodiè publicantur, & publica expeditio primùm indicitur. Banirus cum undecim ſuorum millibus ab Imperatoris exercitu cinctus, in ultimo diſcrimine, pugnam tantùm eamq; atrocem meditatur. Hollandica claſſis propè Genuam partim disjecta, partim capta. Filius Imperatoris natus, Philippus Auguſtinus Leopoldus Cardinalis Cæſaris frater aberit à nuptiis noſtris, ejus locum ſupplebit Caſimirus Princeps, Legatus Cæſaris. id quod aula miratur, mirabitur fortè pleraq; alia, quæ alii Illuſtriſſimæ C. T. opinor ſcripſerunt. Vale decus Poloniæ noſtræ, & te diu Patriæ, diu Eccleſiæ præſta incolumem. Varſaviæ XXXI Julii MDCXXXVII.

EPISTO-

EPISTOLA XXI.
SARBIEVIO Soc: JESU.

DOleo, divinam ingenii tui vim, hoc ad apricandum, animumq; mentemq; campeſtri exercitatione refovendam, opportuno admodùm tempore, importunè ſatis intra parietes murorum detineri, & quodam modò marceſcere, hebetariquè. Quanquam tu ita ad labores ferendos natus & factus videaris; ut poſt tot lucubrationes, ſacraſq; quibus Regias & totius aulæ, acres ad judicandum aures imples, conciones, novus ſemper, & te ipſo major compareas. Interim tamen hoc tanto tuo bono, & nos lætamur, & te lætari convenit; cùm tua virtus ita eniteat, ut non ſolum nobis amicis jucunda ſit, verùm & his, ſi qui ſunt, qui vilis invidiæ veneno tincti, aliena etiamſi optima, odiſſe ſolent, non ingrata. De reditu noſtrorum Legatorum, de itinere Sereniſſimæ ſponſæ Regiæ, & an dies nuptiis dicta, certa ſit, ſi quid ſcis, fac ut & nos ſciamus. Externa bella, etiamſi ea execror, minùs me, & Patriam afficiunt. Sed ab oriente, quid Rex Scythicæ meditetur oræ? quæ ſpes arcendæ illius, & à finibus Regni propulſandæ tyrannidis? da Tytire nobis. Hæc, fiduciâ mutuæ noſtræ amicitiæ ſcribimus, & ut nos deinceps ames, tuiſq; ſacris Sacrificiis Divinæ Majeſtati commendatos reddas, diligenter petimus. Vale in Chriſto chariſſime frater. Brocovio VI. Idus Auguſti. MDCXXXVII.

EPISTOLA XXII.

LUBIENIO ANTISTITI.

GEminam mihi sarcinam, cui utriq; ferendo non sum, imposuisti; Laudes & Amicitiam. Conciones imprimis ad populum meas attollis, in quibus ego adeo repere soleo, ut me præconiorum istorum, quæ cùm alii à te de me, tum ego ipse frequenter accipio, planè perpudeat. Non sum ignarus tenuitatis meæ, & cujusdam in hoc genere pueritiæ; quæ non aliter adolescere potest, quàm si laudes istas tuas sapientissima monita interpretetur. Jam vero amicitiæ titulus, quàm mihi dulcis est, tam ego illi impar sum. Sed, quæ tua est animi magnitudo, dum tu ipse, te, sponte tua ad amorem mei demittis, me prope parem facis. Habes hoc vel cum ipsa divinitate commune, quæ cum crescere sese attollendo nequeat, se se demittendo suâ ipsâ majestate major apparet. Quare, ut tu illam imitare, ita illa tibi, ita tuis desideriis præsens sit semper atq; propitia, teq; diu negotiis suis & gloriæ imprimis augendæ servet incolumem. Legati nostri, & ipsi ornatissimâ pompâ equestri Viennam ingressi sunt, & à Cæsare humanissimè accepti. Sed Casimirus Ingelstorsii, nisi me nomen oppidi fugit, subsistere vi morbi recrudescente coactus, aut, ut aliqui scribunt, voluit. Regina ad XVI. Augusti diem in finibus Regni aderit. mirificè ab omnibus commendatur, præcipua est in laudibus ejus prudentia, humanitas, & jam pridem Austriacis inolita pietas, ac Religionis Catholi-

tholicæ tuendæ singulare studium. Paratur istic in templo maximo pro Rege porta summæ aræ vicinissima, ut si aliquod valetudinis periculum persenserit, evadere per templum necesse non habeat. itaq; velle adesse divinis sacrificiis ac concionibus pleri ; opinantur. Rumores illi Turcici non recalescunt; fieri tamen non potest, ut exercitus tanti, qui Istrum traiecerunt, hybernent in æstate, & nihil agant. Nos Dominum communem precabimur, ut nobis quietâ Patriâ frui diu liceat, diu etiam tibi bonorum ac magnorum Præsulum Principi. Varsaviæ. III. Non. Aug. 1637.

EPISTOLA XXIII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

CRastina dies dicta est Electioni futuri Judicis Territorii Ciechanoviensis. omnes quidèm & votis & suffragiis, fratrem tuum, virum optimum, ad hoc munus obeundum maximè idoneum, poscunt. Aula vestra, & Regius favor, ne quâ parte variet, tibi incumbendum curandumq; erit. Non dubito Serenissimum Regem meum, quod jam dudum se facturum mihi promisit, expectationi nostræ responsurum; si modo quis opportunè illius Majestati in memoriam revocaverit, me olim id petiisse, & multùm ipsiusmet Regiæ Majestatis interesse, meas commendationes, quas non nisi viris bonis & dignis accommodare soleo, locum apud ean-

eandem Majestatem habere debere. Commendo me amori & sacris orationibus R.V. Brocovio die 10. Augusti. MDCXXXVII.

EPISTOLA XXIV.

SARBIEVIO Soc. JESU.

Aliteris jam literis tuis hac unâ respondeo epistolâ. Amo amorem tuum, quem tam luculenter in me effundis: sed ut verum fatear, judicium tuum improbo: pudet audire me, qui modicè literas humaniores attigi, tantopere à te laudato & erudito viro laudari. Leget hæc aliquando quispiam, conditionis & exiguæ eruditionis nostræ ignarus, & existimabit me Sarbievianis encomiis laudatum, Sarbievio Pöetarum nostri ævi, ut de aliis eruditionis tuæ ornamentis taceam, facilè Principi, similem esse. Quare fraternè à te peto, ne deinceps futuræ imponas ætati, sed ea de me scribas, quæ in me cernis, non quæ fingi possunt. scis sæpè errare amorem, & rem amatam amatoribus suis ita placere, ut judicio aberrent, quos tu ne imiteris, rogo. Quæ de Turcis, de Tattaris, rem segniter gerentibus nunciantur, ea bellorum omnium supremo Rectori adscribi debere non dubito: sæpissimè quidem id experta est Patria nostra, ut cùm vel minimè armis valeret, tunc vel maximè (ut apparet nos cælesti contineri præsidio) hostium suorum victrix esset. Nunc quoquè

cum

cùm Sereniſſimus Rex noſter tam ſerò fruſtra contra hoſtem prodire poſſet, cùm Patriæ decus Koniecpolius lecto affixus decumbat, cùm pleræq; Provinciæ rem à Turcis ſeriò agi dubitent, neq; ſubſidia belli conferant, cùm virornm bonorum conſtantiſſima pro Reipublicæ ſalute judicia vix non improbentur; viritim nos ad ſacras aras Deum optimum & potentiſſimum defenſorem rogare oportet, ut cæteris deſicientibus mediis, ipſe ſalutarem manum ruinæ noſtræ opponat. Hæc voveo, hæc opto, tibiq; amorem meum defero. Hodie eſt anniverſaria dies victoriæ ad Chocimum partæ: faveat cælum, ut iterum atq; iterum recentibus victoriis de hoſte nominis Chriſtiani partis, ſolido gaudeamus gaudio. Brocovio III. Nonas Octobris. MDCXXXVII.

EPISTOLA XXV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

Vix dum prioribus literis tuis reſpondi, cùm Decanus meus Plocenſis binas epiſtolas attulit, recentiores quidem, ſed non levem ſuſpicionis timorem nobis denunciantes. Gravè & acerbum eſt, Sereniſſimum Regem, cujus ſalute Patriæ noſtræ ſalus continetur, ægrum eſſe: periculoſum verò copias Turcicas noſtris caſtris admoveri, obſidione videlicet cincturas militiæ noſtræ florem. Panicos eſſe hos metus arbitramur, & à te in dies meli-

meliora expectamus. Pira & poma mitia modicè degustavimus, nam hac ætate, & autumnali anni tempore, si uberiùs esa fuissent, omnium consensu senectutis nostræ defectibus nocuissent magis quàm profuissent, juxta illud vulgare dictum: autumni fructus, caveas, ne sint tibi luctus. Cum Pöëta enim pöëticè nobis agendum est. Brocovio IV. Idus Octobris. MDCXXXVII.

EPISTOLA XXVI.

LUBIENIO ANTISTITI.

JUdicium meum in te laudando reprehendis. Quid faciam? alienum tibi opponam, & ejusmodi quidem, quod & propter auctoritatem & summum dicentis acumen, si improbare vel maximè velis, non potes. Rex noster quàm Lynceus sit, quantumq; in rebus omnibus perspiciat, nosti. Ego quidem primum nuper, peracre ipsius ac divinum planè ingenium miratus sum, cum Famianum nostrum Stradam Belgici belli Scriptorem laudaret, deq; historia scribenda universim, præclara quædam & perrara me audiente diceret. Percunctatus est deinde, bellum tuum civile legissemne? Legisse me aliquam ejus partem dixi, plura etiam dixi, quæ ad te nunc perscriberem, nisi timerem, ne graviùs aliquantò meum in te laudando judicium novâ epistolâ reprehendas. Sed Rex ita illud collaudavit, ut suum etiam ornatissimum honorificentissimumq;

addi-

addiderit, te Polonum Ciceronem esse. Quidvis amplius? vide, quàm me præclarè ultus sim. Quòd deinceps scripsisti Panicos esse metus, sociales illos Tattaros à nobis atq; à fide semel datâ descivisse, Turcas sub aspectum nostrum venisse; si non metus certè rumores planè Panici & inconstantes fuêre. Sed non minùs interdum incerta sunt in Republica, quàm in epistola nostra. Itaq; aliis auctoribus accepi, quingentos duntaxat Tattaros Crimum abiisse; reliquos sedem adhuc ac ditionem petere atq; in fide persistere, Turcas hyberna tantùm in Valachia Moldaviaq; scribere. Ita fortasse metu præsentis belli defuncti sumus, nam futurum planè timetur. Comitia nec dum indicuntur. Rex à proximo die Jovis duas venatui hebdomadas indicit. Ego me cubiculo meo continebo, & Bellum tuum Civile, si miseris, ad umbilicum usq; legam. Vale decus Poloniæ nostræ. Varsaviæ XVI Kalendas Novembris. MDCXXXVII.

EPISTOLA XXVII.

LUBIENIO ANTISTITI.

POma tibi misi. Invicem peto aliquid, & quidem è Jablona tua. Poma quamvis è Jablona non desidero. Ligna, & ea quidem brumalia camino meo fornaculæq; calefaciendis lubens expectabo.

ctabo. Alii Patres aulici subsidia in hæc hyemis aliundè conquirunt; ego apud te; quem tu invicem, si te ardenter amo, calefacere debes. Vale invicem, diuq; nobis te præsta incolumem. Varsaviæ XVI Kalend. Novembris MDCXXXVII.

EPISTOLA XXVIII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

ITerum à te binas accepi epistolas, ut mox obsecraturus sim, ne me ad labores ferendos segnem toties è somno excites; maximè cùm in itinere sim, susceptâ ad Divam Virginem Czestochoviensem peregrinatione. Domo itaq; absfuturus sum circiter per unum mensem. Usum sylvarum Ecclesiæ meæ, quibûs pactis in primo meo ad Episcopatum ingressu circumscripserim, & juramento firmaverim, scies ex me postea: nunc à me curabitur, ut aliundè, vel ex cista mea ligna tibi ne desint. De laudibus à te in me profectis silebo, ne tuum errantem amorem irritem. Turcici periculi timor, ne tota hyeme nos terreat, admodùm vereor. Interim ut meliora his, quæ nobis imminere videntur cæli favore, succedant, à supremo Numine petimus. Benè valeas mi frater.

EPISTOLA XXIX.

LUBIENIO ANTISTITI.

EGo verò, si non literis te meis, certè votis ominibusq; & precibus illùc sequar, quò longiùs à nobis proficiscere. Beatum illum diem, quo te incolumem & hilarem atq; à vultu Sanctissimæ Virginis recentem videro! afflabis aliquid inerti & segni homunculo, quod animum torpentem excitet. Nihil ampliùs scripturus eram, obsecraturum enim te minaris, ne te epistolis meis gravem. sed quis abstineat calamum, cùm Regina febriculâ, leni eâ quidem, sed permolestâ decumbat? Rosipella eam intendit, importunum malum. Rex benè habet, sed nos rursum Koniecpolii invaletudo affligit. Vide, ut tua nos valetudo recreet. Vale. Varsavia XIII. Kalendas Octobris MDCXXXVII.

EPISTOLA XXX.

SARBIEVIO Soc: JESU.

SI quæris an vivam? vivo equidem vitâ senectute confectâ. Si spiro? ægrè spiro. vigilans dormiensq; senectutis detrimenta sentio. Insvaves cibi, ingratus potus, hæc mala meæ jam

sunt

sunt ætatis: proximus mihi videor excubare ad atrium silentûm. Hæc paucis: illud toto pectore profiteor, me tibi optimè velle, optimè cupere. Vale in christo charissime frater. Viscovio III. Kalendas Decembris. MDCXXXVII.

EPISTOLA XXXI.

LUBIENIO ANTISTITI.

A Virgine Claromontana, hoc est, à jugi beneficiorum scaturigine, quæ in Patriam nostram redundat, oportebat redire te lætiorem. Tu sentire te detrimenta senectutis quereris; illa, etiam exstinctos vitæ iterum reddere solet: tu ægrè spirare te dicis; illa est propitius ac salutaris auræ cælestis flatus. Deniq; tu insvaves tibi cibos, insvaves potus scribis; illa est sincera dulcedo, & flos omnis innoxiæ voluptatis. Quapropter canere te Palinodiam oportet, & canes sanè, dum post itineris hoc tempore admodùm difficilis incommoda, ad domesticum te otium ac quietem justam receperis. Dum isthæc scribo, non sine quadam animi mei illecebra Virgini huic Claromontanæ Oden unam pro tua salute, aut Soterion voveo, si te nobis hoc anno incolumem servaverit, Ecclesiæ Reiq; publicæ valde utilem Senatorem, & prisci illius ac melioris ævi specimen. Strebovii ubi Regi venanti necessario affui, in vili humiliq; tugurìolo veteris venæ Lyricum sensi impetum, neq;

omninò fui inobſequens ſpiritui illi, qui è ſedibus cæli raro dulcis, raro etiam verus & ſacer atquè ut ita dicam, æthereus venit. Itaq; librum Sylviludiorum, qui nunc apud Regem eſt, ſcripſi, ſed novô & metrô & ſtylô. Cùm miſero tibi, erit cur rideas, amæna enim & ſubindè pia ſunt. Hippica nunc mitto, quæ ſcripſit Saccus, diſciplinæ meæ publicè ac privatim diligens alumnus. Sed cùm aliena ſcribo, à meis diſceſſi. Singulis deinceps annis pro tuâ ſalute aliquid Virgini illi ſcribam, ſingulis etiam diebus cùm ad aram facio, tui memor. Vale Sarmatiæ delicium. Pridie Nonas Decembris. MDCXXXVII.

EPISTOLA XXXII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

PAlinodiam me canere jubes, & ſenectutis, laudata olim à magnis viris commoda, mihi ob oculos ponis. delicias quas illa adfert, ii demum ſentiunt, qui experiuntur re ipſa, quid ſit ſenectus. Ego quidem fateor, illam mihi non admodùm gravem eſſe, cæteris fortaſſe moleſtam: garruli ſunt ſenes, injurias non facilè ferunt; morbos & dolores, quos illa adfert ætas, etiam nonnunquam ſimulatos accuſant: & ut uno verbo dicam, queruli ſunt. Putaſnè me his nævis carere? ſenex certè

non essem, si vitiorum senectutis expertem me negatem: sed hæc omnia incommoda, ut tu scribis, leviora essent, si me ad domesticum otium & quietem receperim: sed quandò hoc erit? cùm & Episcopale munus, & Senatoria functio urgeat, oneretq; curas meas, ut mihi meô arbitriô vivere non liceat, nec licebit fortassè, nisi vel hæc onera deposuero, vel vitam. Soterion meo nomine Virgini Claromontanæ votum, cùm videro laudabo; interim me à viro laudato, laudari & amari gaudeo. Sylviludiorum libellum cùm miseris, non ridebo; omnia enim quæ à manu, & ingenio tuo proficiscuntur, venerari soleo. Certare cum feris, & miseros trucidare lupos, vix jam Regium esse puto: dixi aliquando Serenissimo Domino Regi meo. Plures Imperatores & Reges, hoc venatico ludo periisse, quàm quos hostilis gladius in acie sustulit. Hippica legi magna ex parte, atq; illum, qui hæc scripsit, disciplinæ tuæ Alumnum agnosco. Singulis deinceps annis pro mea salute Virgini Sacræ, te aliquid scripturum polliceris: gratum quidem illud, sed non diu duraturum, non multis annis te onerabo, pauci enim sunt dies mei, illud gratius erit, si singulis diebus ad sacram aram faciens, mei memor esse volueris. Vale cælestis Parnassi alumne, vatum decus, pietatis norma, & Patriæ gloria. E Pecinensi prædio meo. Kalendas Decembris. MDCXXXVII.

EPI-

EPISTOLA XXXIII.

LUBIENIO ANTISTITI.

IIsdem literîs tuîs te ſenem eſſe fateris & negas quamvis aliqua fortaſſe inclinatæ ætatis damna meritò afferas; quia tamen tàm venuſtè illa, tamq; amænè perſcribis; qui ea legimus, vix poſſumus induci, te ut ſenem eſſe credamus. Quid de illa epiſtola tua, quam Bentivolio Romam miſiſti, dicam? Deus bone! quàm tibi firma quàmquè recens hiſtariæ multiplicis memoria! quæ rerum, quæ temporum varietas intra unius paginæ anguſtias comprehenſa! Viridem certè ac vegetam ſenectutem eſſe oportet, quæ iſthæc teneat, & cùm per tot hiſtoricos divulſa ſint atq; diſtincta, ſecum comparet atq; componat. Sed de his hactenus. Soterion, & Sylviludiorum libellum cùm à Symphoniacis Muſiciſq; noſtris redierint, habebis ſtatim. Si Regem venationem rurſus poſt ferias Natalitias cogitare ſcripſero, vereor ne Pruſcio noſtro, homini valdè miſericordi, rem faciam perquàm moleſtam. adeò de ſalute luporum, quibus vel maximè ſolemus inſidiari, metuet. Quare pedetentim iſta illi narranda erunt, ne hominem tàm acerbo nuncio percellamus, aut irritemus ingenium vel ad ipſorum luporum defenſionem natum. Vale Maſoviæ noſtræ unicum decus, vale ſidus Patriæ univerſæ. Varſaviæ XVI. Kalendas Januarii. MDCXXXVII.

EPISTOLA XXXIV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

PRotheum me existimas, & nunc senem, nunc juvenem, me ipsum à me appellari, in meis ad te literis fingis. Relegi literas meas, nihil tale in iis video. Deplorare quidem senescentis ætatis calamitates, vix dignum Sacerdote, qui alias spes fixit in cælo; molestias tamen, quas ea ætas adfert, fateri proprium est nostrûm, qui, ut anteà scripsi, queruli sumus. sed de senectute nihil ampliùs. Cave & tu, ne eam contumeliâ afficias; in ejus enim olim laqueum casurus es, & certè. Magna fuit quondam capitis reverentia cani. Sed nunc versa fortuna, & orbem universum juventus indomitis frenis, ac effusis in bella habenis gubernat, vel potiùs dilacerat. De quibus illud dici potest. Bella geri placuit nullos habitura triumphos. Olim Austriaca familia crevit in immensum nubendo, nunc nescio num tales habeat & habitura sit successus. Exarmatur mutuis cædibus Christianus populus, crescit & augetur Christiani nominis hostis. Ut illud, quod aliquando me in peristromate Regio legisse memini, usurpari de iis possit. Inter se brutis graviter certantibus, altâ rupe aquila expectat dubio è certamine prædam. Minùs hilarem me fuisse facilè coniicies, cùm hanc dictarem epistolam: ita sanè est, sed si tu lætiora scripseris, exhilarabis animum nostrum. Vale præco Dei, cujus

jus ſacræ conciones fulminis inſtar percellunt animos noſtros, & pro me Deum precare. Viſcovio XIII. Kalend. Januarii. MDCXXXVII.

EPISTOLA XXXV.

LUBIENIO ANTISTITI.

VIde, quàm vultum tuum, quàm præſentiam omnibus invideam. Neminem iſthic vidi ex aula tua, quem non ſolicitè percontatus fuerim de valetudine tua. Gaudeo autem, cùm ex omnibus accipio te non vitalem modò, verùm etiam jucundam vitam agere, adeò illud non prorſus tibi aſſentior, tuam ſenectutem cæteris moleſtam eſſe. ſed quæcunq; illa nubecula triſtitiæ tibi aſperſa fuerit, illam (quod ingraveſcente ætate accidere ſolet) ut Celſus Cornelius docuit, redeuntis poſt brumale ſolſtitium & plenioris diei ſerenitas paulatim, ac te fermè nihil ſentiente omninò abſterget. Parces opinor Pòëtæ, qui Apollinem non Muſarum modò, ſed & medicinæ præſidem colit: & te tantùm amat, tantùm veneratur, ut de ſuo quoq; ſanguine, ſi quid in eo eſt viridis ac vegeti, tibi impertiri lubens velit ac cupiat. Vale, & nos bonis ac candidis de tua valetudine nunciis, & aliquando aſpectu beatos facias. Varſaviâ XXIII. Decembris. MDCXXXVII.

EPISTO-

EPISTOLA XXXVI.

LUBIENIO ANTISTITI.

PRæceps, & ipſe ſibi vix aliquot diebus ſuperſtes annus me commonuit, ut annuum, pro tua incolumitate, Lyricorum meorum votum exſolverem Virgini Claromontanæ. Exſolvi illi, exſolvi etiam tibi; quibus ut plurima in dies ſolvamus, plura adhuc debemus. Illa mihi à puero ſtudiorum præſes, tu judex & arbiter, & aliquot jam annos præcipuus hortator atq; inſtinctor. Ut Narviam, ut Bugum, mihi natales amnes, carmine celebrarem, ſæpiùs per literas monuiſti. Nunc demum monita tua in animum meum diligenter abdita, fideliterq; concepta, poſtliminio velut ſemina protuperunt. Scripſi aliquid de Bugo tuo; ſed hujus carminis viridis neq; dum adulta herba eſt, ut ipſe Bugus alluere videatur. Recentem iſtam Pöéſeos illecebram humili atq; agreſti Plonſcenſi caſæ debeo, ſicut & Sylviludia, quæ ad numeros Muſicos aptari audio: debeo aperto ac benigno cælo, in quo Sarbievum, natalis mihi pagus Plonſcio unâ propè leucâ diſſitum, jacet: ſed maximè tibi debeo, Apollini meo, qui me Viſcovii, qui Brocovii villarum oppidorumq; tuorum amænitate, ſæpiùs refeciſti. Diu ipſe & benè vale. Varſaviâ. IV. Kalendas Januarii. MDCXXXVII.

EPISTO-

EPISTOLA XXXVII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

NOn, ea ingenii mei sunt vires, ut tuis tam piis, tam elegantibus versibus respondeam. Scio me nunquam tractasse Apollinis lyram, nec aliquando memini me in bicipiti somniasse Parnasso, nec fonte labra polluisse Cabalino: ac proinde in mediocritèr eruditorum numero censeri non posse, pudoreq; ingenuo affici, cùm à vobis, quos propè cælestis doctrinæ afflavit & implevit aura, laudamur. Fateri tamen cogor, me tibi plurimùm debere ob præclaram ac eximiam animi tui in me testificationem. Admiratus sum olim, dum mihi nondum notus esses, magnorum virorum de te judicia, summi Ecclesiæ Præsidis Urbani VIII, qui non solùm sanctitate, sed etiam eruditione cæteris præstat, tui honoris testem censuram. Idem judicium Francisci Cardinalis Barberini, cujus ego nomen veneror coloquè. Guido Cardinalis Bentivolus amplissimus idemquè eruditissimus, cujus præsidio res mea nititur, quid de te sentiat, norunt ii, qui tanti viri erga doctos singularem animi propensionem perspectam habent. Quid dicam de laudibus? quas eruditorum, qui in Batavia sunt, justa propè legio in te effudit, ac in ipso Parnasso divinam tuam Pöësim collocavit ac consecravit. Quod meritò quidem ab illis factum, cùm & ij qui alitèr de religione sentiunt, mirentur ingenii tui vires,

vires, & acumen ſingulare: & ſi fortè certandum eſſet, quantus in clypeum aſſurgas, quantâ vi ſacri verbi torqueas haſtam. Quamobrem, iterum atq; iterum tibi ago gratias, meq; ſemper tanti beneficii memorem fore ſpondeo atq; polliceor. Vale in Chriſto chariſſime frater. Viſcovio VI Kalendas Januarii. MDCXXXVII.

EPISTOLA XXXVIII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

NOn temerè vel cum morte, vel cum ſenectute jocandum eſſe, heſternæ diei caſus me docuit. Ut primùm enim menſæ aſſedi prandium ſumpturus, vix dum deguſtato cibo lipothomiam paſſus ſum, elatus in cubiculum, ſtatim quidèm ad me redii, ſed tamen ut in ejusmodi caſibus accidere ſolet, per aliquot horas debilitatem corporis ſenſi. Non mors, neq; ſenectus, inania enim hæc ſunt nomina, quæ entia rationis vos Philoſophi appellare ſoletis, ſed Author vitæ hos nobis incutit metus, & terret; ut totô animô ad eum converſi, ſub ejus directione, ſupremum diem expectemus. Invitat nos eò recens natus Salvator mundi, qui ab ipſo ortu pauper & humilis apparere voluit, mortemq; acerbam licet mente & ani-

mo complexus, ad eam ſubeundam, quoad inter mortales fuit, ſummò deſideriò contendit. Vos juvenes, non mirum ſi cogitatione de longæv a vita ſomniatis, nos in dies mors gelidis circumvolat alis. Si quid certi de tumultu militari ſcis, vel audis, fac me quoq; ſcire; & ſi me vivum amaſti, mortuum ne deſere, & ad altare Dei memor ſis. Vale in Chriſto chariſſime frater. Viſcovio V. Kalend. Januarii. MDCXXXVII:

EPISTOLA XXXIX.

LUBIENIO ANTISTITI.

EPiſtolæ tuæ, quæ me Varſaviæ expectabant, per oſcula amicorum vix integræ ad me pervenerunt. Exoſculati ſunt omnes humanitatem tuam, atq; hoc præcipuè in ampliſſimo Reipublicæ Senatore dilexerunt, quò tantus vir, tam exiguum, tamq; tenuem homuncionem facias tanti, & epiſtolis iſtis tam jucundis, tam familiaribus ornes. Ego verò ſtatim propitium ac ſalutare Numen precatus ſum, atq; etiam nunc obnixè precor, tibi hunc ut annum benè ac feliciter evenire faciat, teq; quem præ omnibus veneror ac colo, diù nobis incolumem, diù florentem ſervet. Sylviludiorum hoc unicum, quod habui, exemplar, mitto. præter amænitatem quandam verborum, nihil auribus tuis dignum, ac ne mediocre quidèm habent.

Sed

Sed ut periſtromata illa Belgica, quæ venationes exhibent, uno propè modum colore atq; eo quidem viridi contexuntur; ita hæc Sylviludia penè omnia verna ſunt. Si probaveris illa, dum leges, ſupra meritum accidet; ſi riſeris, hoc verò ſatis erit: cùm te, quem ſemper lætum, ſemper hilarem eſſe cupimus, quoquo poterimus modô, recreaverimus. Vale. Varſaviâ Pridie Nonas Januarii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA XL.

SARBIEVIO Soc: JESU.

PArce, quod parcè ad te ſcribo. & id unô verbô ſignifico, Sylviludia tua mihi vehementèr placuiſſe: ea in aliam chartam tranſcripta tibi remitto. Cur hæc epiſtola ſit brevior, non aliam exiſtimes eſſe cauſam, niſi languorem meum, qui me lentè conſumit. Tu vale, me ama, & pro me ora. Viſcovio Idibus Januarii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA XLI.

LUBIENIO ANTISTITI.

UT nobiliſſima quædam ſemina in arido ac infelici ſolo, ita ſapientiſſima monita tua tardè

admo-

admodùm apud me in florem ac ſpicam prorumpunt. Lyrica aliqua, ut de Divis Regni Tutelaribus ac indigetibus adderem, aliquando per literas monuiſti. Ecce tibi de Beato Societatis noſtræ Tyrone carmen. Sed quàm languidè, quàm ſerò provenit! quòd tamen provenit, hoc monito tuo; quòd ſerò, hoc tarditati ingenii mei acceptum feres, ac ſi minùs voluntati tuæ me feciſſe ſatis, ejus tamen me admodum fuiſſe memorem, fateberis. Sed ecce carmen mihi atq; ipſam epiſtolam acerbus de Zamoſcii Cancellarii Magni ſupremis nuncius incidit: quem virum ſi vel ſangvinis mei fomento ſervare potuiſſem, has ejus uncias, quas ipſe haud multas habeo, cùm eo communicaſſem. Utinam vos, magnos ſapientiâ atq; uſu rerum Proceres, qui tanti herois deſiderium nobis lenire poteſtis, Deus regnorum præſes & arbiter, diu ſervet incolumes. Vale columen inclytum Poloniæ. Kobylcæ apud Opacium meum Pridie Idus Januarii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA XLII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

UBerem tuli fructum meæ olim cohortationis, qaâ te monui, ut aliquid de noſtris ſcriberes. Accepi tuum Pòëma cultum, nitidum, vehemens, dignum

dignum Lauro, & ut omnia unô verbô complectar, dignum te, & ingenio tuo. Ibit per ora virûm, noviſq; floreſcet laudibus is, quem hoc carmine exornas Divus Staniſlaus Koſtka: agnoſcent cæteri præclaram ingenii tui vim, & acre judicium in eo laudando; qui in tenera adhuc ætate tantùm præſtitit, quantùm alii vix toto acto ævo conſequi potuiſſent. Munus quidem mihi gratiſſimum eſt tam comptè & elegantèr ſcriptum. Cæterùm tu ipſe author muneris hujus longè eò gratior exiſtes, ſi ad nos veneris, quod te facturum promiſiſti. Vale in Chriſto frater amantiſſime. Viſcovio XVIII. Kalend. Februarii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA XLIII.

LUBIENIO ANTISTITI.

ADeonè mihi ater calamus eſt, ut præter invaletudines aut mortes aliorum, ad te penè nihil exaret? Senex ille Jaſnogorſcius, Regiæ Præfectus culinæ, heri extinctus eſt, hodiè continuatis rumoribus affertur, utrumq; Archiepiſcopum ægrè valdè habere. Zamoſcius fletur ab omnibus, nulli flebilior, quàm tibi; cujus tu nullam ſignificationem doloris apud me feciſti, eam ob rem opinor; ut mæſtum vultum nullis verborum coloribus ſatis exprimendum, ſilentio quaſi velo obtegeres.

geres.

geres. Sed ecce lætiora. Cùm Zaporovianis debellatum est. E priore illâ clade receperant sese in oppidum Borovica, ibi rursus sexcenti propè cæsi. Paulò post justâ propè obsidione pressi, seq; oppidumq; dedêre. Conjectus in vincula Paulucus seditionis caput. Ad te cùm primùm potero, cùm Musis meis advolabo. Vale decus Sarmatiæ nostræ. Varsaviâ XX. Januarii. MDCXXXVIII

EPISTOLA XLIV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

ITanè Dominus Zamoscius noster cessit è vitâ? Scribit mihi Medicus meus, illum planè, ut Heroem magnum decebat, in ipso supremo mortis momento monstrasse excellentis animi vigorem: filio vale dixisse, & paternâ benedictione illi optima quæq; ominatum fuisse: illud quoq; adiecisse, se quoq; à Patre suo, undecimo ætatis suæ anno, orphanum relictum fuisse. Quem tu virum existimas? eum, qui inter militaria opera, inter conjugalis vitæ solicitudines; inter Reipublicæ functiones, paulò minùs quàm Monachum egit, vitæq; omnes suæ rationes ad tranquillitatem animi composuit: ejus mors nobis accidit satis importunè, cùm talium virorum præsidio munienda foret Respublica, nosq; ipsi, qui ætate illum longè præcessimus, instruendi ad eas cogitationes, quas pro

Republica ſuſcipere cogimur. Sed quæ illius fuit pietas? me, fratremquè meum Epiſcopum Vladiſlavienſem, ſcripſit ultimîs tabulîs ſuæ Domûs tutores: hoc certè munus gerent alii, nobis noſtra res ſufficit. Audiri apud vos Coſacos pœnitentiæ cœpti conſilii, ducemq; motæ ſeditionis deſertum & captum, Regiæ militiæ Præfectis traditum eſſe. Hæc ſi ita ſunt, meritò hilaria hilariora eſſe debent, maximè ſi & miles ad pacem ſe componit. Ego te futurâ ſeptimanâ apud me hîc expectabo, nec enim aptius tempus ad me conveniendum habere poteris, ſi modò venire volueris. Vale in Chriſto frater chariſſime. Viſcovio XII. Kalendas Februarii, MDCXXXVIII.

EPISTOLA XLV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

RECtè tu quidem auguraris, nulli flebiliorem eſſe mortem Zamoſcii quàm mihi. Doleo virum Reipublicæ neceſſarium extinctum eſſe, & in ipſis orientis fortunæ initiis, graviſſimîs morbîs maceratum cecidiſſe. Amabat ille me, viciſſimquè à me amabatur. conſtanti & ſolido amore: deniq; me longè ſe ipſo natu majorem, ſupremîs tabulîs tutorem liberorum fecerat; non credo quòd me ſupervicturum putaret, ſed quia nimiùm mihi non temerè fidebat. Involvit natura vices, & ego qui

viginti

viginti annis ante eum natum vixi, adhuc quidem ſpiro, cæterùm non diu victurus. Tu qui commoviſti dolorem meum, ut pollicitus es, veni ad me, abſterges quidem lachrymas, ſed dolorem ex pectore non evelles. Commendo me amori, & ſacris orationibus tuis quàm diligentiſſimè. Viſcovio VIII. Kalend. Januarii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA XLVI.

SARBIEVIO Soc: JESU.

UT primùm domum redii ex nuptiis nepotis mei, has ad te do literas, ex quibus te intelligere volo, me rectè valere, atq; ut alia prætermittam, & in itinere, & in ipſis nuptiis hilaritèr vixiſſe: domum redii eoſdem mox habiturus hoſpites, apud quos honorificè exceptus & habitus fui. Quid plura petis? dies prima Martii, vereor, ne triſti ſydere nobis oriatur; quanquam ego vix memini in ipſo Comitiorum exordio militem hoc fœdere impio obſtrictum fuiſſe. Explicabunt eandem difficultatem mox futura comitia, nodumq; eum diſſolvent: quanquam neſcio, an ubiq; Conventus Provincialis ritè peracti ſint. Radeovjâ ſcribitur, ingenti cæde privatis odiis litatum eſſe, Conventumquè ipſum armata vi diſſolutum. Sed hæc apud vos meliùs ſciuntur, quæ nos hîc deflemus. Vale

Vale mi Sarbievi chariſſime, & amorem tuum in me conſerva. Viſcovio Pridie Idus Februarii MDCXXXVIII.

EPISTOLA XLVII.

LUBIENIO ANTISTITI.

QUanti caſus humana rotant! Corſica, regnum inſulare, novum ſibi Regem creavit. Luſitania, cujus opibus nitebantur res Hiſpanæ, à corpore Catholici regni repentino quodam furore avulſa eſt. Braſilia univerſa Batavorum eſt. Jam verò regnum Angolæ, Caput viride, omniſq; India orientalis, quæ Luſitanicæ ditionis eſt, & ejus gentis Præfectos habuit, ut non ejuſdem ſeditionis contagione tangantur, eximiô quodam divinô beneficiô opus eſt. Nequè Belgium quidem ita firmum eſt, ut in his fluctibus ac procellis Gallos atquè Hollandos non circumſpiciat, à quibus vehementèr ſolicitatur. Quid de Hungaria dicam, cujus fidem Racocius pertentat, Turcæ verò regionem crebris ac magnis irruptionibus vaſtant? Ego quidem iſthæc rerum humanarum ludibria, illa parte animi, quâ divina, quâ ſempiterna ſpectamus, deſpicere, atquè ex angulo meo ridere ſoleo. Sed in hoc tanto tamquè repentino Reipublicæ Chriſtianæ exitio planè perturbor.

Tu ipſe, qui
Prævectus alto nubila vertice
Extraquè caſus conſpicuum caput
Elatus, admiſſô quietus
Irradias fruerisquè cælô,

fieri non poteſt, ut publicas iſtas calamitates non ſentias. Singulis propèmodùm ſæculis opus fuit, ut iſthæc audiremus, quæ ad nos octiduo perferuntur. adeò decumanus quidam publicarum miſeriarum fluctus eſt, qui noſtras aures perverberat. Sed quid ego ferias iſtas, omnibus quidem, tibi verò eximiè lætas atq; ſolemnes epiſtolâ triſtiore ſuffundo? Parce obſecro, & in publico dolore lachrimas permitte, quas vel ipſæ voluptates habent. Iſtarum tamen nuptiarum Wierzbnenſium ſincerus ad nos & ſine triſtitiæ nube rumor manavit. Boni omnes (& quis erga eximium adoleſcentem bonus eſſe non poſſit?) fauſtas illas ac fortunatas volunt & ominantur. Sed cur ego ex nuptialibus iſtis cupediis non melimella, non placentam deguſtavi? deguſtavi tamen Matthiæ Pſtroconii humanitatem, qui adeò integrè omnia narravit, ut mihi adfuiſſe prorſus viderer. Vale benè ac diu Præſulum optime, ut filium nepotis optimi egregium, hoc eſt veſtrâ Lubieniorum proſapiâ illuſtriſſimâ dignum, lætus atq; hilaris ſenex videas, Varſaviæ XII. Februarii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA XLVIII.

LUBIENIO ANTISTITI.

SUm apud Opacium fratrem meum, in pago Kobylcensi, quò missus sum in negotio haud sanè levi. Si per Bugum, mihiq; rei commissæ difficultatem licebit, radam frequentes istas orbitas, quæ Viscovium ducunt, & extremam nuptialis istius festi patinam delibabo. Quod quidem festum quàm candidus quamq; benignus rumor fuerit consecutus, nuper tibi scripsi. Lusitanis venia atrocis facti, atq; adeò ipsius rebellionis offertur ab Hispano. Conventus Provincialis Sredensis haud ita tranquillus fuit, ut permulta Nunciis difficilia non præscripserit. Mitior fermè ubiq; Polonia minor. Lithvani turbulenti sunt, & vim etiam atq; arma minari videntur. Pleriq; Gedanensium causam suscepisse feruntur. Sed vos, quibus nititur Respublica, lætiora nobis omnia facietis consiliis vestris. Tu præcipuè, quem Senatorum atq; Procerum multi non modò ut collegam, verùm etiam ut Patrem venerantur. Diu tantùm ac benè vale. Kobylcæ XIV. Februarii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA XLIX.

SARBIEVIO Soc: JESU.

EXpecto adventum tuum: patet Bugus, patent orbitæ itinerum. Ita inquam patent, ut eas, vel

vel graviori etiam curru transvolare poſſis. Rumores, quos nuper ſcripſiſti, non curo. Rebellent Luſitani, Corſica Regiô fulgeat ſtemmate, veniant in eandem ſocietatem, vel potiùs perfidiæ infamiam, cætera Hiſpani regna, Sicilia, Neapolis, & ipſum Mediolanum. Nobis propior à Turca metus, & proximus à milite fœdere impio ſociato. De Lithvanis, quod ſcribis eos turbari, ne id quidem contemnendum puto. Gedanenſium cauſam vos ſcilicet in ipſo ſemine extinguetis. Sed quid ego hæc ad te Saturnalium die? cùm te hodiè apud me futurum confidam. Vale igitur meiquè memor ſis. Viſcovio die XV. Februarii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA L.

SARBIEVIO Soc: JESU.

VEnit ad aulam Majeſtatis Regiæ Racovius meus, accitus eò à vobis, ut audio, non ſine voluntate Regia. Apud me hactenus Cancellarium egit, atq; eo dignatus honore, qui maximus apud Epiſcopos eſſe ſolet: puto & vos eô locô virtutem ipſius collocaturos; ut eruditio ipſius, quam multo labore ſibi paravit, magis magiſquè niteſcat. Id tu potiſſimùm præſtare debes, qui & eruditos, quantùm quiſq; æſtimandus ſit, & eruditionem ipſam explorare optimè noſti. Mihi

certè ipsius opera grata fuit; sed virtus ejus & pietas potissimùm me illi obstrinxerunt, quas comites ille ad aulam secum ducit, illîc in amplissimo rerum gerendarum theatro eas explicaturus. Favebitis & vos homini, eumq; majoribus etiam curis admoturi, ne industria ipsius torpescat, promovebitis. Tu potissimùm & ad virtutis palmam præclarè contendentem tuâ cohortatione ultrò etiam impelles. Deum precor, ut te diu servet incolumem: te verò, ut mei in tuis sacris orationibus memor sis. Viscovio. XXVI. Maii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LI.

SARBIEVIO Soc: JESU.

VT olim frequentioribûs tuis literis dormiens interdum excitabar, ita nunc cùm siles, cùm nihil scribis, cùm nunquam lacessis, offendi videor, iterumq; te ad certamen literarum provoco; scribe itaq; non seria, non magno labore comparata, sed jocosa, ut olim facere consveveras. Ego obitu Archiepiscopi Gnesnensis vehementer me commotum sentio. ita rapimur arbitrio fati etiam ante ætatem. minor erat me anno uno & aliquot mensibûs. studia nostra simul tractavimus, simul in aula Regia crevimus, vereor ne simul fatis quoq; concedamus. Quem daturi illi sitis successorem?

quis gravissimo huic oneri ferendo par reperietur, Deus scit & Serenissimus Rex noster. Frater meus Episcopus Cujaviensis, fortassis inter alios comparere possit, si modò hoc munus suscipere vellet: est in eo virtutis candor, doctrina & eruditio non vulgaris, pietas summa: sed id fiat, quod cælum sanxit, & Rex noster reprobat. Vale mi Sarbievi amantissime. Viscovio VIII Junii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LII.

LUBIENIO ANTISTITI.

PErpetuæ, sine interventu Collegæ, Palatinæ conciones meæ, & Musæ postliminio reduces, adeò me in angulum meum abdiderunt; ut non epistolis modò, verùm etiam communiori vitæ planè ineptum facèrent. Hærebat tamen, & ob ipsos oculos versabatur viva ac præsens imago tui: & si quando in studiis hisce, quorum ego te principem agnosco, dubii aut ardui occurreret, mihi erat magistri instar, & hortatoris. Quid vis amplius? ipsa etiam Numina ejusmodi silentiô magis, quàm voce veneramur. Episcopi Cujaviensis mentione, epistolam quasi melle adspersisti. Quis non sanctissimos & integerrimos mores, priscum illum veteris ævi candorem, dulcissimum pectus, quis non eruditionem & permagnum ac diuturnum rerum usum ac prudentiam, amorem

deni-

denique populi & fidum Regi Reique publicæ animum in illo non videat, non amet? Quis hæc ipsa in te non admiretur? Sed nos non perinde semper digni sumus, non perinde supremæ illi menti placemus, neq; pari semper eam prece ac contentione exoramus; ut nobis optimos ipsius etiam religionis præsides atq; custodes impertiatur. Delatus est quidem honos iste, viro summo, Episcopo Cracoviensi, homini vobis amicissimo, sed is, ut omnium opinio est, Cracoviam suam non deseret. Quid de vobis, quid de aliis magnis viris Rex cogitat, haud quanquam mihi compertum est. Sed eadem illa suprema Mens (si modò eam humili prece orabimus) suggeret illi haud dubiè virum tanto officio ac dignitati parem. Tui certè hodie cùm illi adessem, tuiq; fratris Episcopi Cujaviensis mentionem fecit adeò honorificam, ut nihil ad commendationem, nihil ad studium Principis deesse videatur. Pstroconius tuus Lublinum, atq; Sendomiriam abiit, meq; isthîc substituit in Sacris. Orabo Deum omnipotentem, te ut nobis Fratremq; tuum duo Reipublicæ columina diu & servet & ornet. Vale decus Antistitum. Varsaviæ X. Junii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LIII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

SI vales benè est, ego quidem contra vota hactenus aulica [valui. Nunciatur enim mihi,

con-

conclamatum fuiſſe in aula Regia de vita mea. Miratus ſum ſanè ejuſmodi ſpargi rumores, qui nec illis, nec mihi ſunt proficui: mihi quidem vivere ſvave & jucundum eſt; illis verò quibus Epiſcopatûs Plocenſis conditio ſordet, quid appeterent, morte mea, aut quid quærerent, neſcio: nempè eò excrevit ambitio, ut nemo, niſi vel Archiepiſcopus Gneſnenſis, vel Epiſcopus Cracovienſis eſſe velit. Non igitur facilè credideris me mortuum eſſe, nam ejuſmodi rumores idcirco ſparguntur, non ut ſummorum virorum ambitioſum acuant appetitum, ſed ut inferiorum Prælatorum irritent ſtudia. Vale mi Sarbievi, & pro me Divinam Majeſtatem exora. Brocovio VI. Idus Julii MDCXXXVIII.

EPISTOLA LIV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

DOluiſſe te vehementer putabam, poſteaquàm intellexiſti de præcoci morte mea, quam quis & quæ infernalis invidia finxerit, & cui officiat vita mea, ego ſatis diſpicere nequeo. Poſcebat tuus erga me amor, ut hæc explorata ad me maturè ſcripſiſſes, nam hactenus ſæpiùs Pruſcium meum interrogare ſoleo, vivuſne, an mortuus menſæ aſſideam? unde hæc fabula orta ſit, & cur tantà curâ pleriq; eò incubuerint, ut à meo cubi-

culario explorarent statum vitæ meæ? inter alios, dicam enim id quod est, socius Patris Kołozembscii cur tam exquisitè interrogaverit de vita mea, quem nec novi, nec vidi; explicaret ille, à quo antea intellexerit, me in eorum numero esse qui vixerunt: cùm tamen ille coram cubiculario meo asseruerit, se à multis de morte mea audivisse. Nihil ego his vitæ meæ insidiatoribus aliud opto, nisi, ut quàm diutissimè mentiantur: à te peto mi Sarbievi, benè ominari velis vitæ meæ, mortem meam non fictam sed veram lachrymîs prosequi. sic vivemus, sic moriemur, ut est olim in cælo decretum. Vale, & me ama. Brocovio XIII. Julii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LV.

LUBIENIO ANTISTITI.

A Rumoribus aulicis adeò nunc alienus sum, ùt fugere soleam ex circulis, in quibus novi aliquid familiaribûs colloquiis agitatur. Novam istam aurium nauseam creavit mihi, de multorum, qui adhuc vivunt, mortibus ac penè exequiis funebribus mendacissima fama. Tot deinde captæ urbes, capti Duces, cæsi exercitus, disjectæ classes, aliaq; complura, ab iis qui otiosi sedent, conficta. Te vitâ functum esse, tantùm abest, ut crediderim; ut carmen solemne Divæ Virgini Częstochoviensi

pro

pro tua incolumitate scribere statim instituerim, quod posteaquàm perpolivero, tibi mittam. Unde funestus iste rumor manaverit ad aures Socii Patris Kołozembski, luculenter Moderator domûs nostræ ad Pruscium tuum perscripsit. Ego postremus fui, quem tristis iste nuncius verberavit, atq; adeò à commenti hujus origine longissimè absum. Tu porrò vive, & ride nihil de te posse sinistram famam, nisi cum mendacio loqui. Diu te nobis, diu patriæ & Ecclesiæ Superi commodent: neq; priùs tam grande virtutis omnis & pietatis ac doctrinæ depositum repetant, quàm carissimam patriam florentem ac beatam videas, & non facundiâ modò ac consiliis, verùm etiam ætate Nestor sis. Vale & me tam diu lætum quàm diu tuum, ama. Varsaviâ XVII. Kalendas Augusti. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LVI.

LUBIENIO ANTISTITI.

CArmen meum votivum neq; dum ad umbilicum adduxi. nihil mihi graviùs est, quàm dimittere opus infabricatum & adhuc ab igne & incude rubens ac impolitum. De portorio disceptari cœptum est: ajunt modestiores esse Dantiscanos. Regis animus erectior esse videtur, posteaquàm Brandeburgicus se futurum in partibus ejus, luculenter pollicitus est; id quod Lesczynius

celer-

celerrimis nunciis significavit. Casimirum arctiore, quàm credebamus, custodia Parisiis attineri, mæremus & indignamur, Nequè Galli ipsi post Antverpiensem Sociorum cladem, captumq; Cassalium, sunt multùm lætiores. Bellum in Podolia servile, ne contemptu & ducum absentiâ invalescat, pleriq; timent. Ego Deum oro, Divosquè Tutelares ac Indigetes nostros, ut meliora, diu lætus, diu incolumis audias. Vale XVI. Kalendas Augusti. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LVII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

NEscis rumores aulicos, ita crescere, ita augeri; ut nolentibus etiam obtrudantur, & nauseam insuper moveant: solere etiam iis commoveri magni nominis viros, inter quos me quoq; recense. durum enim & acerbum est me inter mortuos referri. Sed vide, me tecum sincerè agere voluisse, in ipsa, quam ad te dedi epistola. ad imum literarum mearum adscripsi, ut literas meas Vulcano addiceres. nolo quærere quis sparserit, quis vulgaverit mortem meam. Vivam igitur ut tu mones, & mentiri famam sinam. mentiatur illa quidvis de me, & ego Ecclesiæ & Patriæ serviam. Mirata quondam est vetustas Nestoris ætatem tribus sæculis auctam; sed ecce video, sæcula illa non

am-

ampliùs ad triginta annos excreviſſe: ita paucorum annorum decurſu vita longa tranſacta fuiſſe putabatur. nos non in tantam ætatem vitam producemus. finis vitæ noſtræ is erit, quem olim Deus certo limite ſanxit, Commendo me amori & orationibus Reverentiæ Veſtræ. Viſcovio. XVII. Julii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LVIII.

LUBIENIO ANTISTITI.

SEcretiores literas tuas, ut voluiſti, Vulcano tradidi: candorem tuum ac benevolentiam mihi perpetuam ſervavi. Quis verò æquô animô ferat, curſum vitæ adeò brevem, tot tamq; incertis caſibus obnoxium, aliorum præterea votìs incidi? Ego quidem te à nobis ad mortuos divertiſſe, nunquam credidi, præſertim tam celeri & inopinato caſu; mærebam tamen eſſe aliquos, qui id, leviſſimis authoribus, crederent. Sed mihi crede, diu utriq; fallentur, ſi tu eam vitæ ac victûs rationem, quam iniiſti, diu tenebis. Falle eos, obſecro, nos verò bonîs de valetudine tua literis ac nunciis ſolare. Vale, & oro ſcias, vitam tuam, meâ mihi eſſe cariorem. Varſaviæ. XV. Kalendas Auguſti. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LIX.

LUBIENIO ANTISTITI.

Votum meum, quô tibi Neſtoris ætatem optavi, nimiùm contraxiſſe videris. Quid? Neſtoris ſæcula tria, ad annos triginta redigi potuiſſe? Scio nonnullis placuiſſe, quorum tu fortaſſis in cenſu eſſe voluiſti, Lunares eos annos, non ſolares fuiſſe, in quos Græcia annos ſenis illius inclyti extenderit. Sed quid, oro te, novi, quid ſaltim rari de illo cecíniſſet? Admirabiliùs fuiſſet, juvenem triginta annorum, cygni inſtar canuiſſe, id quod de illo Homerus atq; Heſiodus ſcripſerunt. Jam verò annuum ſolis curſum, qui verus ac proprius annus eſt, veteribus illis, atq; adeò vel ipſi Neſtori cognitum fuiſſe, vel ipſum decenne Troianum bellum docuit. Beroſus certè, Hiſtoricorum vetuſtiſſimus, ſolarem annum, à Jano, qui Nóé fuerit, deſcriptum fuiſſe tradit; ùt omittam nullam tam barbaram, tam rudem fuiſſe gentem, quæ annum naturalem (ut vocant) veris, æſtatis, autumni, ac hyemis decurſus dimenſa non fuerit. Neq; verò incredibile videri debet Neſtorem trecentos ſolares annos inter mortales egiſſe: cùm ſuperiore ſæculo ſenex in India repertus ſit, qui totidem annos emenſus, ſingulis ſæculis dentes mutaverit. Tradit bonæ fidei auctor Petrus Maffæus. ſed recentius eſt, quod Euſebius Nerembergius in peregrina hiſtoria ſcriptum reliquit: Petrum quendam Hiſpanum in agro Peruano ter canuiſſe.

nuisse. Sed quid externa adducimus? Avus meus Adamus Sarbievius nonum supra centesimum annum numeravit: Matthias verò Widlaga, agricola Patris mei, trigesimum. Et tamen quantùm ipsa sæculorum declinatio nobis ævi ademit? quantùm luxus? à quo Nestoreum illud sæculum, quô Reges fabas ac cicerem in deliciis habuerunt, fuit alienissimum. Putidum erit fortassè, si cætera ejusdem argumenti minutim persequar. Satis est, me tibi annos optasse, quot Nestor si non habuit, habuisse tamen fertur. Eos certè, quos tibi olim Deus in tabulis adamantinis consignavit, virtute & rerum à te gestarum gloriâ, ampliùs, quàm Nestor ætate, extendes. Vale Præsul, iterum atq; iterum Nestoris annîs dignissime. Varsaviæ XIV. Kalend. Augusti. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LX.

SARBIEVIO Soc: JESU.

QUæ de Nestoris ætate ego ad te scripsi, non eo sensu, ut tu intellexisse videris, scripsi; sed veteres authores secutus, dixi Nestorem tribus sæculis, hoc est, triginta annis vixisse: nec is numerus annorum infra illud ævum est; cùm olim Dominus longè ante dixerit: non permanebit spiritus meus in homine, sed erunt anni ejus, centum

tum & viginti. Maxima & ſuprema hæc ætas erat, & quotuſquiſquè tamen fuit, qui illam conſequeretur? plurimi quinquaginta, alii ſexaginta, ſeptuaginta, octuaginta annos vixerunt, eaq; ætas maxima à Davide, qui poſt bellum Troianum circiter centum annis vixit, cenſebatur. Sed de ſæculis audi. quæ olim ab authoribus notata fuerunt, ea accommodata fuiſſe ad magnum vitæ humanæ ſæculum: hoc eſt ad.annos centum viginti. itaq; qui hunc numerum conficiebat, magnum vixiſſe ſæculum dicebatur. Et Neſtor quia tria ſæcula vixerat, nonaginta annos vixiſſe creditur, & tamen Heroës illos carne bovina aſſata uſos fuiſſe, ni fallor ſcribit Homerus, nam à fabis & cicere frigeret manus tantis Heroibus, vinum deniq; oblatis pateris largiùs hauſiſſe. Itaq; Neſtor cùm nonaginta annis viveret, trium ſæculorum ætatem vixit. Quæ Petrus Maffæus, quæ Euſebius ſcribunt de noſtro ſæculo, iis eam fidem habemus, ut peregrè allatis. Avum tuum ad centum & novem annos ætatem prorogaſſe, facilè crediderim. Vidſagam centum triginta annos ſuperſtitem fuiſſe, da veniam dictis, ego vix credo: vidi enim pleroſq; ejuſmodi, qui tantum vitæ ſibi arrogarunt. In bonis meis Brocovienſibus accidit, me Epiſcopatum gerente, ut centum triginta annos ſe habere duo ruſtici contenderint; teſtem certè nullum producere poterant, ſe ejus ætatis fuiſſe, ſed exactiùs examinati, alter centum & ſeptem annos, alter centum itidem & quindecim vixiſſe reperti fuerunt. Non ita nos adeò deſipere exiſtimes, ut annum ad Lunæ curſum accommodemus, nec tantopere ætatem noſtram deliciis dedi-

tam,

tam, ut generali censurâ annos à Deo statutos imminuat: cùm & nostrum ævum videat annos, vere, æstate, autumno, & hyeme constantes, centenarios à plerisq; transigi, & multos esse, qui Davidis ætatem superent, & satis per se sine subsidio calcant. Vides fratrem meum septuaginta trium annorum ætatem vivere, & tamen robustum esse. Viderunt majores nostri Casimirum tertium, Sigismundum primum, Reges Poloniæ, tòt vixisse annis, ut & Davidis Regis, & multorum aliorum ætatem superarînt. Quidni ego sperem tot annos quòt frater meus. me octo annis major natu, habet, consequi posse. Ad binas alteras literas à te ad me datas non respondeo, cùm satis superq; inter nos contenderimus. Vale mi Sarbievi, quem ego puto Nestorem facundiâ longè superare, ætatem quoq; ejusdem attingere posse. Datum Brocovio XII. Kalend. Augusti. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LXI.

SARBIEVIO Soc: JESU.

Redeuntem Sarbievium meum è Viennensibus Thermis saluto; non quæro ut vivas, vivere enim te, & omnibus morbîs, tam pretioso sulphure, quod usq; Vienna petendum erat, potum purgatumq; redire sanum confido. Quanquam dupli-

duplices morbos poni à Medicis ſcio, qui alias corporis, & alias animi affectiones recenſent: neſcio enim utrum tu benè animo valeas; qui amicum per tot menſes nullis interpellâris literis: Letheam illam aquam dixerim, quæ cùm corpus ſanet, prætoritorum memoriam æternâ oblivione ſopiat. Melior aura Polonica, quam poſtquàm attigeris, ipſe tibi reſtitutus videberis: venient in mentem & amici, & tota cohors tibi benè cupientium. Ecce ego primus compareo, & an rectè omnia habeant, ut mihi ſignifices, à te requiro. Deſcribes itineris commoditates, loci, in quo te in aquis fovisti, amænitatem, urbis Viennenſis (quam olim noſtri Majores incoluère, & Wieden, quaſi quòd illuſtrior appareat, vel Wiedmam, quòd in ea Veneficæ habitarunt appellavere) venuſtatem. De reliquis non interrogo; neq; enim puto te, vel compoſitos Germanorum mores, vel Cæſaream, in ſexu fæmineo, Majeſtatem admiratum fuiſſe: cætera, cùm veneris, nobis referes. Interim vale, meq; amantem te, mutuo amore proſequere. E Prædio meo Barthodzieienſi. XXIII. Octobris. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LXII.

LUBIENIO ANTISTITI.

ITa prorſùs ſtatueram, te non niſi ex ipſis dulciſſimæ Patriæ finibus, per literas ſalutare, ne curioſus

osus rerum ad te novarum delator vocarer, quod mihi in ipso Silesiæ ingressu à non nemine objectum est. Equidem quid lætius, quidvè optatius significassem? quàm Regem, è cujus spiritu vita Reipublicæ nostræ pendet, melioris esse ac constantioris valetudinis, aliis præthereà thermas illas Badenses salutares extitisse. Ego quidem me robustiorem esse, atq; in dies pingviorem experior, qui ante aliquot annos phtisim timebam. Reliqua quæ suggeris argumenta, itineris commoditates, regionum situs, locorum celebritates, Viennæ magnificentia, melius tibi quàm mihi nota sunt. Aliqua præthereà ad familiare colloquium reservanda sunt; quod ego plurimùm desidero. Dum hæc scribo, tubâ signum datur, vi Osviecimum moveamus. O quàm avidè patriam conspicio! Vale decus unicum Senatûs, meq; tuum semper, tuumq; ubiq;, ut hactenùs fecisti, ama. Pscynæ in ipso curru, ultimô Octobris. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LXIII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

ITa te tepidum reddidit balneum Viennense; ut nonnisi delicatè, & absq; labore vivere velis, & nostri penitùs oblitus, ne unô quidem verbo nos amicos tuos compellare. An quia Cæsaream spenè totam Domum vidisti, manusq; eorum exoscu-

 latus

latus es, idcircò os in cælo ponere vis? Heus bone vir, iterum erit nobiscum tibi vivendum, nec semper vinum, sed interdum cerevisia, qui patrius potus est, bibenda. Crediderim equidem te jam patrios fines ingressum, fætida & lutosa viarum itinera circumspectare, & fumo fætentes Prosoviciis (ex hoc oppido cætera cense) tabernas. Profectò nisi te ad meum recessum Viscoviensem reduxeris, non bellè tibi conservandum alibi erit. Pacata quidem omnia domi reperistis, id quod curæ & vigiliis nostris acceptum ferre debetis: vos vicissim nobis omnia fausta allaturos confidimus. Ego hôc autumno plurima, & satis remota itinera confeci, nescio an apud vos, inter eos, qui vixerunt, relatus fuerim. Non ita vivimus, nec ita helluamus, ut nos periculis vitæ obiiciamus: parva cubicula, eaq; benè tecta, ac commodè calida, nostra mansio est, nec facilè nos commoveri patimur, ut vel facietenùs intempestivis tempestatibus nos obiiciamus. Sic omnes aditus letheos obstruimus: tibi, ut juveni, ut forti, & ad omnia vitæ pericula adeunda benè parato, concedimus bibere, edere, quantùm vis, quantumvè cupis. Commendo me interim amori tuo, & gratiæ amantissimè. E prædio meo Barthodzieiensi. IX. Novembris. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LXIV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

FActurum te promiseras, simul ac domum rediisses ut ad me scriberes. expecto in dies pro- missum

missum fidemq; exolutam. Mea quòd senectute torpeat manus, tu nempè optimè nosti, cæteri fortè vix credent: tu & vidisti & tractasti utramq; meam nimis valdè tremere manum. Gedano ecquid adfertur? Rex Serenissimus utrùm in Lithvaniam iturus? Totus ille Moschoviticus Septentrio, quid ipse Rex gelidâ meditetur orâ? Serenissimus Rex noster utrùm eò, & quâ viâ eat? Sed ecce itineris vestri incommoda renunciantur nobis; dum Borovii, in bonis Abbatis Plocensis Serenissimus Rex esset, quosdam seditiosos cives, fortè ab aulicis soricibus commotos, querelas quasdam ad Regiam Majestatem detulisse; quasi per virum optimum, amicum nostrum opprimerentur. Falsum est, nam ille quâ pietate rem familiarem tractat, non nisi à Societate JESU accitis arbitris quidquam decernat: licet aliàs eo jure illi uti liceat, quô cæteri in Polonia Domini, tam sæculares quàm spirituales utuntur. De vestro autem adventu scire non potuit, cùm eo ipso die, quo vos Borovum venistis, e Societate JESU frater illius in cælum abjerit. Petit itaq; ut si fortè rustici isti Varsaviam questum venerint; sis tutor & defensor optimi amici tui. Hæc & alia mi frater scribe. Vale, & me, te amantem redama. Viscovio. IV. Idus Decembris, MDCXXXVIII.

EPISTOLA LXV.

LUBIENIO ANTISTITI.

MAlè vellem Lithvaniæ, si liceret, si non mox invisenda esset: quòd hesterna die opere illo

suo adeò mihi valetudinem afflixerit, ùt etiam in lectulo prostraverit. Itaq; sicut Horatius in Allium, ita ego in Betam mordaci aliquo jambo debaccharer. Ignosce, obsecro; postquam heri & hodiè ab aula absui, nullam tibi aliam scribere possum, nisi cubiculi historiam. Hoc tibi præterea repono pro tremore manuum, qui tibi molestus magis est, opinor, quàm noxius. Malignus aliquis humor ibi insidet, quem salutaris ac propitius & pollens naturæ calor ad extremas corporis partes propellit. Ita vim naturæ tremor iste testatur magis, quàm labefactat. Avus meus, annô ætatis supra tertium sexagesimo, tremere sibi manus querebatur, & tamen centesimum superavit. Itaq; de tremore manuum, parùm & tu queri debes. De itinere Lithvanico, nihil ampliùs aula dubitat. De rusticis querelis Boroviensium & Vissimiriensium cùm penitùs cognovero, quidq; illis indultum sit, scivero; curabo apud Cancellarium, ut rescindatur. Abbatem Borovio absuisse, cùm Rex hospitaretur Vissimiricys, nemo questus est. Nuncius Moscorum de imminutis Magni Ducis sui titulis acerbè agit. Gedanenses tacent. Benè & diu vale Præsulum & Senatorum unicum decus. Varsaviæ. XIV. Kalend. Januarii. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LXVI.

SARBIEVIO Soc: JESU.

MAlè sit oleri Lithvanico. Sed te tantum virum non decet mordaci carmine Betam proscin-

ſcindere, quam olim Martialis non alio nomine, niſi fatuam cohoneſtavit, quòd eâ paſti fatui efficiantur. Extenuare videris manuum mearum tremorem; ſed ſi tali telò ictus eſſes, certè mecum doleres; quid enim aliud patiuntur ii, qui mancas manus habent, niſi ut calamum in manum ſumere non poſſint. Hoc eſt illud ſolatium mentis, ut quotieſcunq; ad amicum etiam arcana ſcribere velit, id ſine teſte quivis expedire poſſit: ſed nec ipſa dictatio epiſtolica, tam blandè ſuccedit, ſicut quando propriâ exaratur manu. De Regio in Lithvaniam itinere facite & ſtatuite ùt lubet. De titulis Moſchoviticis ſemper ea eſt querela, & ſemper erit. Commendo me amori tuo & ſacris orationibus. Viſcovio XV. Decembris. Annô. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LXVII.

LUBIENIO ANTISTITI.

FAbrorum prandia, betas, me mordaci aliquo jambo proſcindere vetas? Ego vero diram apparo, vehemens Carmen; non ut olus iſtud inſecter, ſed ut te recreem. Quanquàm tu ipſe inſectatione quoq; dignam judicas, dùm cum Martiali atuam vocas, quod eâ paſti fatui efficiantur. Sed ſcave hoc tuum dictum, cave meum Carmen videant Lithvani: te quidem è longinquò, me vero præſentem

sentem brevì obliqua tuentibus hirquis adspicerent. Iter ad eos ad septimum Januarii diem destinamus; sed paruus est itineris apparatus, imò cura, pene nulla; non equi, non carruçæ conduntur. De manuum tremore iterum quereris. quid mihi cum tremulis manibus, si mihi semper, si bonis omnibus beneficæ fuerunt? Characteres quoq; ipsi, quos tu rectos formas, quos amicis bonis ostendi, minùs eas, quàm olim tremere ostendunt. Diu vivas, diu scribas, diu etiam & habeas & des, Præsulum beneficentissime. Varsaviæ in pervigilio Divi Thomæ. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LXVIII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

NOn de stolida beta mihi tecum res est, sed de adventu Regiæ Majestatis ad me de quo neq; tu quicquam scripseras, nec aliundè nos scire potuimus; cùm Magnus abesset Cancellarius, quo interprete cum Regia Majestate agere soleo, nequè quisquam amicorum adesset in aula. A te itaquè nunc scire volo, quo die Regia Majestas Varsaviâ abitura sit, quo Viscovium ventura. Scis discrimen magnum esse inter diem, & diem, quô carnes, quô pisces exhibendi sunt. Vos ista videtis, sed nos longo tempore ea conquirimus, & vix habere possumus. Nescio quis me laudavit tanquam

pisco-

piſcoſum dominum, ſed laudavit falſò: verum quidem eſt, cùm olim ne unum quidem carpionem in toto Epiſcopatu habuerim, nunc eſſe aliquem numerum hujus piſcis non diffiteor; non qui culinas Regias impleat, ſed qui Epiſcopo ſatis ſit. Sed ut rem concludam, habebitis & piſces, habebitis & carnes. Vale mi Sarbievi & Deum pro me ora. Viſcovio. XXII. Decembris. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LXIX.

LUBIENIO ANTISTITI.

MOdò primùm Sereniſſimus Rex dixit mihi, diſceſſum in Lithvaniam ſuum ad decimum Januarii diem dilatum, atq; ita apud te undecimo die Viſcovii hoſpitaturus eſt. Id quod tibi, quàm poſſum celerrimè, conducto tabellione, ſignifico. Piſcium cura jam nulla habenda eſt. Princeps Caſimirus ex arce Salonenſi, in Alpinas Sabaudiæ ſolitudines, & aſperum atquè horridum clauſtrum amandatus eſt, Regis Galliarum juſſu. Getzius Præfectus Cæſaris legionum, nutabat in partes Gallorum, ſed maturè proditio intercepta: ipſe captus Ingolſtadii tenetur. Vale decus unicum Maſoviæ. Varſaviæ ſacro die Divi Joannis. Anno MDCXXXVIII.

EPISTO-

EPISTOLA LXX.

LUBIENIO ANTISTITI.

VErbum infans, quod cras eloqui conor, neq; possum, tacere mihi jubebat; & ecce epistola à te, ut & Verbum, ita & ipsa plena humanitatis. Gratulor tibi inprimis tanti Verbi natalem, gratulor primum Regis ad te cœlestis adventum; qui tanta te benignitate inviset, tantîs, tamq; hospitalibîs donîs ornabit, quanta Masoviæ nostræ regendæ ac pascendæ satis erunt. De Regis deinde nostri ad te adventu nihil certius est; hucusq; constanter septima Januarii dies discessui destinatur: equi, currus, aliaq; impedimenta diligentius, & conquirnntur & ordinantur. Primam noctem Radzimini, alteram apud te agemus. Nihilo secius attendendum est, ne quid propter incertum Vistulæ aut Bugi transitum mutetur, sed ejus mutationis ne rumusculus quidem auditur; & Reges, quâ eant, cùm volunt, facilè reperiunt. Ego ad te, si potero, cæteros prævolabo. Vale optime ac munificentissime Præsulum. Varsaviæ in pervigilio Nati Dei. MDCXXXVIII.

EPISTOLA LXXI.

SARBIEVIO Soc: JESU.

SEd quid hoc est, mi Sarbievi? ad XI. Januarii Regiam Majestatem ad me venturam scripseras;

& ecce neſcio quis rumor ſpargitur, ad XVII. hanc profectionem dilatam: jamq, in ſuſpicionem venio id ita eſſe factum. Nullus enim præcurſor, nullus itineris præparator hactenùs apud nos comparuit. Scribe quæſo, nobiſq; ſi potes, certiora & veriora nuncia, nam hæc quæ nuper ſcripſiſti, nutare videntur. Vale, & me tui amantem redama. Viſcovio III. Januarii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

PRecisevium meum; qui jam heri à Majeſtate Regia, jam dudum pro illo per me impetratum Notariatum Plocenſem in ſpem futuræ ſucceſſionis obtinuerat, jam tandem nunc vacuum, Regio verbo pro ſe deſpondit, commendo tibi diligentiſſimè. Vir eſt, ut uno verbo dicam, optimus: valet juris notitiâ, & per aliquot annos militavit in Caſtris Regis ſatis glorioſè. Sed quid plura! heri & ego, & ille ipſemet gratias egimus Regiæ Majeſtati pro collato beneficio, ut jam hoc infectum fieri non poſſe, certò arbitremur. Tu videlicet moram obiicies in curſu fortunæ cognati tui? id nunc ne cogitare quidem aut ſuſpicari poteſt Precisevius; ſed ut per te cæteri ambientes removeantur, petit; & ego cum illo à te poſtulo. Mea

certè

certè causa agitur, & dignitas in certamen vocatur; si meæ promotiones irent in oblivionem: quòd ut tu tuearis, & fieri non permittas, tui erit officii. Vale, mi Sarbievi, & me ama. Viscovio. XIII. Januarii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXIII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

VEnisti tandem in Lithvaniam tuam; ubi quondam alitus, ubi honoribûs Scholasticis auctus, in tantum taleinq; evasisti virum. Utere jam sorte tua & inter eos eruditissimos viros tene principatum: interdum etiam venient tibi in mentem rudes olim tui Masovitæ, & nos huic solo inserti; qui equidem & valemus & vivimus, contra ac infelix Varsavia, jam à discessu vestro finxerat. Fortassis & Vilnam usq; penetravit hic rumor, & vos lætati estis exitu meo: cautè id quidem faciatis; nam qui aliena morte gaudent, hos vel inprimis mors aggredi solet. Serenissimum Regem nostrum, totamq; Domum Regiam Deus servet incolumes; te quoq; vitamq; tuam in longa proroget tempora. Hîc Pecinæ, ubi me inter multa ligna condidi, habeo mecum & duos germanos fratres, & Patrem Simonem. Calida hipocausta nos tenent,

lucem his mensibus, àéremq; noxium vitamus; nam is in Februario & Martio potissimùm sævit, pestisq; est senibus. Vale mi Sarbievi. Peçinæ XXXI. Januarii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXIV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

ADhuc, ut video, non deposuistis conceptam ex primo adventu Vilnam, lætitiam: illos amores, illos favores, illas omnes delicias, quæ vobis ultro oblatæ sunt, & quibus exhilarati atq; recreati, nondum vobis ipsis redditi estis. Sed ut spero, brevi quoq; redibit ad vos memoria nostri: neq; tantoperè deliciæ ciborum Lithvanicorum vobis svaves erunt; ut non recordemini, pingvium çaponum, pingvium boum & aliarum cupediarum domesticarum. Nondum videntur à vobis literæ; ne rumor quidem, qui nobis significet; ut in conspectum Lithvaniæ veneritis, ut excepti fueritis, & quæ est expectatio vestra, quando tandem in abitu vestro, occinetur vobis illud Carmen Ambrosianum. Sed nescio unde isti spargantur rumores, non diu vos isthîc mansuros: fac quæso me certiorem, ut hinc me maturè subducam, & in alia me loca coniiciam; audio enim vos, cùm inde discęditis, famesamisq; morbis laborare solere. Proçul Bulinus, clamabat olim Patersamilias, & vos

cum

cum tali peſte abite in alias regiones, & miſeram Maſoviam, tot calamitatibûs affectam ſinite aliquantiſper reſpirare: eſt Pruſſia, eſt Ruſſia, eò iter convertere vobis liceat. Ego hisce diebus vocabar ad nuptias Zamoſcianas, ſed ſenectus mea per totum Februarium & Martium caminum & fornacem poſcit: itaq; uſus ſum ætatis excuſatione, ac domi manſi: ubi etiam, bone Deus! de quibus non inſimulor, quibus non oneror morbis? cùm tamen idem ſim, quem, cùm à me abires, vidiſti. Jam incipio ridere iſta figmenta, & tu, non ante me mortuum credideris, quàm nuncium, quem ego mandavi poſt mortem meam mitti ad aulam videris, & ſi fas erit, ego ipſe ocyùs ad te volabo: vellem equidem ab omnibus, cùm fatalis ille dies venerit, videri: nec celabo exitum meum. Delectat me jam quidem memoria mortis, & ita ſive ſeriò, ſive joco, libenter de ea loquor; tu quoq; non abhorreas à fatali hoc & neceſſario vitæ termino, (*) quem nobis ſubeundum DEUS ſemel ſanxit, & nunquam mutabit. Vale, mi Sarbievi. Pecinæ nonis Februarii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

ITanè illa tua humanitas, illa ad officia præſtanda promptitudo, ille totus virtutum tuarum concen-

cen-

(*) *Quarto poſt obitum Sarbievii die Lubienius mortuus eſt.*

centus, ſimul atq; fines Lithvanicos ingreſſus es, frigore patrio riguerunt? Nulla à te, poſteaquàm à meo complexu diſceſſiſti, epiſtola tua viſa eſt mihi. Non queror, neq; enim audeo, ne tu fortaſſe in alium hominem transformatus ſis, & ſuperbiore incedas faſtigio. Rogo tamen, & ſi licet ſupplico, ne tam facilè meam proiicias amicitiam: fateor equidem me tibi faſtidio eſſe poſſe, ut ſenum mos eſt; tamen non propterea vilis à te exiſtimari debeo. Vale itaq; & me ama. Pecinæ, pridiè Kalend. Martii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXVI.

SARBIEVIO Soc: JESU.

PRecíſevium meum, & bonum virum & bonum militem, & Regiæ Majeſtati addictiſſimum, & in Republica ſatis verſatum, Notariatum Plocenſem petentem, cùm apud me eſſes, commendavi tibi. Etſi enim Regia Majeſtas, Dominus noſter Clementiſſimus, cùm idem ab eo peterem, publicè reſponderit, ſe id meæ petitioni daturum; & reliqui omnes, qui tum inaula erant, idem cenſerent: ſed tamen eſt quiddam, ſi reliquorum omnium, deſideriis noſtris, votum publicum accedat. Itaq; à te, mi Sarbievi, peto vehementer, ut non ſolùm ad meum votum ſuffragium tuum accommodes, verùm etiam literis tuis ad me datis declares, te

id

id omninò velle: turpe enim videri poteſt, ſi tu in aliqua re, quæ mihi curæ eſt, à me diſſentias, & contrariam promotionem urgeas. Preciſevium meum, te omni cultu & obſervantiâ proſecuturum ne dubites, me ſi quid cauſâ illius feceris, tibi omnibus officiis cumulatè fatisfacturum haud ambigas. Commendo me ſacris orationibus. R. V. Viſcovio. IV. Martii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXVII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

UTrumnè tibi aliquis malus Genius ſvaſerit, nè ad me ſcribas, certò ſcire non poſſum: ſuſpicor tamen te à me offenſum, tam diu tacere. Nullas enim omninò tuas literas accepi, poſteaquàm ab amplexu noſtro diſceſſiſti; & qui me anteà frequentiſſimis literis obruebas, nunc in æternum ſilere videris. Vel igitur, ſi non omninò mihi iratus es, ſcribe, vel ſi aliqua ex cauſa commotus es in me, & hoc ipſum ſcribe. Diſſuendas enim potiùs amicitias, quàm rumpendas veteres cenſuerunt. Frater tuus, Judex Ciechanovienſis, heri apud me fuit, quem benè valentem à me dimiſi. Vale mi Sarbievi, mequè ama. Viſcovio. XV. Martii MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXVIII.

LUBIENIO ANTISTITI.

UNicas meas ad Illustrissimam D. V. Vilnæ isthîc apertas, & non paucis ostensas, reliquæ secutæ non sunt; ne rerum novarum seminator, & in aula tua sparsor (ut non nulli jam vocabant) ampliùs jactarer. Quanto meo dolore id acciderit, scribere vix possum. Tuæ factionis esse palam pronuncior. Ego verò neq; ullam factionem tuam video, neq; si ea esset, quæ nulla est, aut ab ingenio aut ab institutione tam callidus ac versatus sum, ut in ea versari velim. Vide, quantopere innocentia in aula interdum oppugnetur. Integritatem meam nosti: animum erga me Principum Virorum non ignoras; sed neq; nescire potes, quàm misera sit invidia, quæ falsîs commentis pusillos homunciones evertere nititur, & in lato aulæ campo, ne cespitem quidem apparere permittit. Obsecro te, literas ad me tuas optimo Poniatovio, qui apud Regni Cancellarium est, ita imposterum jube commendari; ut eas mihi manu sua tradat. Cæterùm adeò me in solitudinem abdidi, adeò libris meis & otio dulcissimo impallesco, adeò pertæsus aulæ, angulum meum amo; ut non calamum modò, verùm etiam & os & oculos, præter Cathedram meam à publico abstineam, & quotidiè addiscam, nihil esse tutius, nihil dulcius silentiô. Sed age, quisnam ille obsecro est, qui Psirroconio nostro, in aula tua dixit, me Regium esse Secreta-

rium

rium: mihi omnia arcana & credi & committi? deniq; ita me esse gloriatum? Exigua hæc scintilla, incendium excitasset, nisi eam altissimum de mea modestia judicium extinxisset. Doleo tamen, ab aliquo ex tuis hæc dicta fuisse, quorum ego singulos, quàm potui, & colui & amavi. Ore te parcas candori, parcas etiam dolori meo, quòd hæc apud te tam tenerè aperiam, & me semper tuum, ad ultimum usq; spiritum tuum, ut semper fecisti, ama. Vale decus Senatûs nostri. Vilnæ. XXVIII. Martii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXIX.

SARBIEVIO Soc: JESU.

NUllas me à te tantò temporis intervallo accipere literas, equidem piget pudetquè. Putabam tanti silentii causam esse, quòd variîs negotiis distinereris, dabam veniam silentio tuo. Sed jam aliam causam taciturnitatis tuæ video & perspicio: nempè te idcircò silere, quòd mecum amicitiam ejusmodi silentiô discindere volueris; & non more Majorum, potiùs dissuere. Quinquies, ni fallor, ad te scripsi, cùm interim nihil à te, toto hoc tempore habuerim, & famulus meus, cùm isthîc casu esset, ac à te quæreret, velisnè literas ad me dare? te scripturum esse, si tibi tempus vacaret, respondisse. Quid dicam tandem? cùm nunquam

tibi

tibi tempus ad me ſcribendi anteà defuerit, nunc vel torpeat manus tua, vel certè animus à me averſus, odium quoddam præſeferat. Feram ut poſtero hanc indignitatem, nec tamen ultionem ullam cogito: quô animo erga te ſemper fui, in eodem ſemper permanebo. Vale, & me tui ſtudioſiſſimum ama. Viſcovio. V. Aprilis. MDCXXXIV.

EPISTOLA LXXX.

SARBIEVIO Soc: JESU.

JAm ut video, fraude malorum & ego deceptus ſum, & tu graviſſimîs oneratus calumniîs, gemis, triſteſq; ducis ſpiritus. Quotquot ego ad te dedi literas, omnes illæ innoxiæ ſunt: de te non niſi honeſtiſſimè locutus, neque quidquam tale è domo mea prodiit, quod famam tuam lacerare poſſet. Caſtè & caſto ore amicitiam noſtram coluimus, de Muſis noſtris, mutuîs inter nos litteris contulimus, nullius famam læſimus, & ecce cum ſumma injuria literæ noſtræ aperiuntur, reſerantur & in publicum prodeunt, & non niſi viſæ & reviſæ, excuſſæ, & impiè tractatæ, tibi redduntur. Divinam Majeſtatem teſtor, me nullius culpæ eſſe conſcium, nec quenquam Secretarii nomine compellaſſe. Poſſem, ſi vellem, recenſere hujus figmenti

authores; ſed DEUS illis parcat: erit fortaſſe tempus, cùm hæc apparebunt. Te velim optimæ conſcientiæ teſtimoniò tutum ſecurumq; vivere. Litteras meas mitto tibi, ex quibus intelliges, quæ tibi redditæ fuerunt, vel non. Doleo equidem me cariturum fructu eruditiſſimarum ſcriptionum tuarum, ſed ſi eò uſq; ſurgit invidia, cedemus illi, veniet mox dies, quæ hæc in lucem proferet. Ego hactenùs per DEI gratiam benè valeo, tuq; ut valeas, da operam, meiq; memor ſis. Viſcovio. VIII. Aprilis. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXXI.

LUBIENIO ANTISTITI.

DIuturni apud te ſilentii mei equidem me valdè puderet, ſi non alienæ curioſitatis cauſæ, & ſuſpiciones interceſſiſſent, quas tibi nuper diligenter per Joannem Niedziałkovium Vilnâ proficiſcentem perſcripſi. DEUS bone! quas non moleſtias tuli, cùm falſò ſecreta ad te ſcribere inſimularer: cùm ſpargeretur, in aula tua eſſe auditum, me Regium eſſe Secretarium, mihi omnia arcana credi! quæ omnia, quàm iſthîc iniquè mihi imponantur, vir graviſſimus ac ſapientiſſimus vides. Deus mihi ac tu ipſe teſtis es, nunquam me Secretarii titulô apud te eſſe gloriatum, nulla unquàm arcana ad te aut ore aut calamo evulgaſſe.

Do-

Doleo meâ, doleo etiam tuâ causâ, quòd & colloquia & mutuæ epistolæ nostræ simplicis ac candidi semper ac innocentis argumenti, apud alios & eos quidem Magnos traducuntur. Vereor equidem, ne posteaquàm ego hoc mærore defunctus sum, tu mærere incipias meâ causâ, quem quantò innocentiorem nosti, tantò magis amare incipies. Sed oro te atq; obtestor dona hoc modestiæ meæ, dona etiam quieti; ne si alii hoc me apud te questum esse intelligant, aut suspicentur magis, aut mihi irascantur. Satis est, si ego hîsce silentium apud me meum tam diuturnum excusem, ac rogem vehementer, ut tuæ ad me epistolæ mihi in manus consignentur. Cæterùm quid in Galliis de Casimiro Principe agatur, dequè febricula Regis, alios scripsisse existimo. Invitabat Regem Verkos Episcopus Vilnensis, ubi sincerior & salubrior multò aura, & mira fluminis ac ripæ & collium amœnitas, longissimusquè sylvarum adspectus; sed judicia primùm, deindè incessens febricula Regem detinuerunt. Gosievius Lithvaniæ Referendarius in Gallias legatus destinatur, eo nomine accipit à Rege millia florenorum sexaginta. Officium sanè est & obsequium aliis quoq; exoptatum, & iis magnis ac planè isthîc præcipuis, posteaquàm non utile, & tam sumptuosum vident. Legationis Secretarius Borastus erit, ejus collega Roncalius. Pleriq; timent, ne tanta tamq; sumptuosa legatio, sine Principe domum redeat, præsertim tam perturbatis tamq; inclinatis Austriacorum in Germania rebus. Nuncius Cæsaris nequè dum habet responsum. Ea, quæ ad Majoris Cancellariæ Regentem sapientissimè scripsisti de Le-

gato ad Turcam Victorem mittendo, magnoperè laudantur. Vale ſapientiſſime Præſulum, & me non nihil tui cauſâ innocentiſſimè patientem, ama, & tuere. Vilnâ. XV. Aprilis. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXXII.

LUBIENIO ANTISTITI.

LIteræ tuæ ab optimo Poniatovio mihi diligenter redditæ, valdè me recrearunt. Hærebat adhuc cura illa de vano ac confićto nomine aut officio Secretarii. Ne te amplius, optime ac benigniſſime Antiſtitum, eadem cura mordeat, & illa tenera in me purgando afficiat ſollicitudo. Nihil tam ſponte, nihil tam citò evaneſcere poteſt, quàm ipſa vanitas. Deus & tempus in apertum innocentiam noſtram proferent. Conſtantiam verò amicitiæ noſtræ (ſic enim appellare dignaris mutuum noſtrum benevolentiæ ſtudium) idem Deus & æternitas celebrabunt. Celebrabo & ego, & ſi quid mea carmina poſſunt, candorem & integritetem animorum noſtrorum poſteris amplius commendabo. Videbit orbis me virtutis tuæ admiratorem ac cultorem fuiſſe, doctrinam tuam atq; eruditionem coluiſſe; de aula, de rumuſculis, deq; titulis nihil unquàm cogitaſſe. quòd certè perpetua iſta ſolitudo mea ſatis jam nunc oſtendit. Angulum meum amo, ex illo, aulæ ſtudia ac vana

rerum

rerum nomina rideo. Si me religiosa institutio, à tertio decimo ætatis anno, si perpetua commentatio, ac lectio talem non formassent, præstaret tamen natura ab omni strepitu & fumo alienissima, mihiq; ipsi, & amicis paucis, quorum tu principatum tenes, attenta. Parce obsecro gravissime Antistes, quòd hæc paulò apud te familiarius ac planè Stoicè disseram. Aliorum non curiosus de me ipso scribo. Vicissim alia omnia scire ex te non cupio, de te ipso quomodò valeas, ubi nunc degas, quid de eruditissimis scriptis atq; historiis tuis cogites, ut quàm sæpissimè cognoscam, te etiam atq; etiam oro & obtestor. Vale optime mihiq; æternùm observandissime Antistes. Vilnæ III. Kalendas Maij. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXXIII.

SARBIEVIO Soc: JESU.

DElectaverunt me literæ tuæ postremæ, quas III. Kalendas Maii ad me dedisti, obliterans & abstergens omnes maculas vanitatum, & mutuam veteris nostræ amicitiæ constantiam, iterum in pristinum locum reponens. Perge mi Frater, & talem te præsta, qualem decet & religiosè sanctèq; è tam sublimi loco concionantem, & Divina Pòémata, vel potiùs Hymnos Deo Regiq; canentem. Ego in dies, etiamsi vigere valetudine videor,

deor, pedum tamen meorum debilitas, vereor ne me morti proſtituat; ſed tamen vivemus, nec imperfecta ſcripta urgebimus. pereant hæc, nos modò valeamus. Frater tuus, vir optimus, ſæpè intereſt negotiis meis, quotieſcunq; vocatur; quo nomine velim, ut illi gratias agas. Vive interim & lætus, & curîs ſolutus, & quòd caput eſt, proſpera valetudine vitam tranſigas. Viſcovio XVIII Maii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXXIV.

SARBIEVIO Soc: JESU.

TRanquillitatem animi tui, quàm nuper literîs tuis ſignificaſti, ſimul miror, ſimulq; laudo, meq; in conſortium tuum adſcribi vellem, id mihi niſi ipſe diſſvaderes. Quanquam neſcio, utrùm mea mens non eadem tranquillitate frui poſſet; licet enim & nobis quamvis in alio ſtatu, reducere nos intra privatos parietes. Sexageſimus ſextus annus id permittit; ſvadet morbîs fracta valetudo, nec aliud poſcit Patria mea chariſſima, & fortaſſe hoc genus vivendi aggrediar à proximis comitiis. Juvabit ad Eccleſiam, ſponſam meam, ſedentem ſoli DEO vacare, juvabit etiam honeſtè otiari, & littus illud noſtrum Plocenſe, tanto impetu in littus noſtrum undas protrudens ſpectare. Quid plura? ſi inſuper te mecum habuero: *ſublimi feriam*

viam sydera vertice. Hæc ego interdùm, sed vereor ne frustra mecum revolvo, lætus hilarisq; tum esse soleo. Vale mi Sarbievi, meiq; in tuis sacris orationibus memor esto, & porrò amore atquè gratiâ tuâ prosequere. Viscovio. XXVI. Maii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXXV.

LUBIENIO ANTISTITI.

MOnes me, ut hymnos cælesti Regi canam ut dulce imperium, ita res, quam imperas mihi, vel inter has ipsas venationis regiæ ferias, mihi gravis est. Perpetuæ & à nullo unquàm laboris Vicario interruptæ Conciones meæ totum me rapiunt sibi. Nullus, quamvis exiguus dies festus, nullus Dominicus elabitur, quô non aut in templo, aut in palatio, aut in cubiculo isthîc etiam inter venandum, concioner; id quòd à nemine tam assiduè tamquè continenter fieri, scis existimo. Poniatovius literas tuas ad me tutò transmittit Vilnâ. Ego meas Vilnæ in manus ejus consignaturus sum, aut alicui, qui rectà ad te iturus est, diligenter tradam. Conabor interim, ut desiderio tuo in sacris pangendis carminibus faciam satis. Epigramma, quòd in funus Smolenscensis Palatini, viri optimi, Reipublicæ valdè necessarii effudi, tibi transmitto. Lugebis equidem viri mortem,

tem, quem tibi carum fuiſſe, ſcio. Filius Palatinatum adeptus eſt, titulum tantæ Legationi neceſſarium. Tu obſecro vale, & valere te benè vel hoc ipſo tibi perſvade, quòd vel ipſi, qui in aula ſunt, diu ac benè te valere velint. Merecio II. Junii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXXVI.

LUBIENIO ANTISTITI.

VIde quanti ego faciam monita tua. Nuperrimè ad hymnos cæleſti Regi pangendos me hortatus es. Cecini Divinos amores. Dum cæteri damis ac cervis inſectandis vacant, multoquè ſole uſti & pulvere ſordidi vagantur in campis ac ſaltibus; ego ſub umbra tugurii mei incidi in cervum, quem cum Regio Pſalte ad fontes uſq; perennium aquarum, uſq; ad locum tabernaculi admirabilis, uſq; ad domum Dei inſecutus ſum. Hoc tibi, Jacob tuus è venatione ſua affert, Pater mi. Surge & comede, ut benedicat mihi anima tua. Et verò ſi placuerit, pergam; ſin minùs, imperio tuo paruiſſe mihi ſatis erit. Cætera à me ne require, mihi vaco ac Deo, ac pauciſſimis amicis, quorum tu ſummam corones. Vale & me tuum ſemper, ſemper ama dulciſſime Antiſtes. Merecio. III. Junii. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXXVII.

LUBIENIO ANTISTITI.

HAud in nobis læta venatio fuit, uti cupiebamus. Exeunte Majo duplex malum Regem invasit, chiragra ac podagra, lenes illæ quidem, sed tamen lecto affixum tenuerunt. Jucundum nobis mendacium accidit Astrologi nostri, qui ausus rumorem spargere, eum Regem, cujus natalis proximus esset, Ecclipsi Ascensionem Domini antegressæ, omninò moriturum. Haud dubiè Rex noster notabatur, cui mox consecuta natalis dies, sacra Primo ac Feliciano Martyribus: quo ipse die magnô omnium gaudiô valetudinem prorsus recepit. Te optimè ac constanter valere omnes, qui ad aulam veniebant, magnô omnium bonorum solatiô renunciabant. De Gedanensium animis, de legatione Gallica, publicisquè negotiis alii tibi scribent. ego mihi sacrisq; concionibus totâ hâc venatione in tuguriolo meo vacabam, nunquam beatior, quàm cùm solus. Quòd si aliquid amænitatis animum incessit, id in Carmen, quòd tibi mitto, aliaq; pöémata effudi. Vale & diu vale optime Præsulum. Vilnæ. XXX. Junii. Annô MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXXVIII.

LUBIENIO ANTISTITI.

NOn ſatis habuit Cancellarius magnus, tibi ut ipſe Niędziałkovium commendaret, oraretq; illi ut Parochiam dares Govorovienſem; me quoquè voluit habere hujus petitionis ſuæ comitem. Et ſanè merentur hoc, magna erga me parentum ejus benefacta, ut te vehementer orem; ut ſi nullius injuriâ id fieri poſſit, hanc ei Parochiam conſignes. Hoc certè affirmare poſſum vel ipſius Cancellarii teſtimoniô, eum in curia aulaq; ipſius huc uſq; perquàm modeſtè vixiſſe, ſecus ac pleriquè, qui Societatis inſtitutum relinqvunt. Scio à te graviter hominem monitum iri, uti modeſtè atq; utili exemplo iſthîc vivat, & gratiâ tuâ benè utatur. Vale optime Præſulum. Vilnæ, ipſo S. Joannis natali die. MDCXXXIX.

EPISTOLA LXXXIX.

SARBIEVIO Soc: JESU.

NEquaquàm tantùm tibi otii ſupereſſe putabam, ut tot & literas ſcribere & verſus pangere poſſes. Sciebam te temporis ſatis parcum eſſe,

esse, sed ut video, ingenii tui præstans excellentia tibi subdit alas, non Icarias tantùm, sed ipsas Dædaleas, quæ ad suscipiendum quodvis àéreum iter sufficiant. Volabit olim sic tua fama, nec nisi in bicipiti consistet Parnasso. Me quòd valere quidam dicant, alii aliud quidpiam suspicientur, non multùm jam curare video. Vivemus, mi Sarbievi, Deo & Patriæ, quamvis Patriæ vix quidquàm debeamus, cùm vita nostra propè jam ad septuagesimum accedat annum, quos pænè totos me Reipublicæ impendisse, facilè, ostendere possem. De Niedzialkovio, rectè suspicaris me tuam expectasse commendationem: quòd enim indignum mihi videbatur, juvenem residentiæ Parochiali obiici, ad quàm omninò de jure tenetur, id te solvente, & me absolvente, non invitus feci. Tu memineris eum sæpius hortari, ut in Parochia resideat, Sacerdotio se insigniri curet, curam animarum, Angelicis humeris satis gravem, per se & in persona sua administret & gubernet, ut Divinæ Majestati strictam rationem gesti Magistratûs reddere possit. Hæc ad multas tuas literas. Sed coerceo manum, carmini tuo hâc adjectâ laude, quòd & doctum & pium sit, & quòd ego vehementer probo. Nostrum enim, qui in hoc vitæ statu versamur, est; sitire fontem illum, ex quo flumina Paradisi ortum ducunt. Vale mi Sarbievi, mequè ama, & DEUM pro me ora. Viscovio. XXX. Junii. Annô MDCXXXIX.

EPISTO-

EPISTOLA XC.

SARBIEVIO Soc: JESU.

ERraveras fortaſſè, & te nunc etiam errare puto; etenim cùm tam multi viri principes è comitatu Regio, amici mei ad me diverterint, tu ſolus, neſcio per quas vias, ut ego opinor, erras, ut fortaſſè tu exiſtimas, ſvaviora diverticula quæris: non invideo, ſed & nos fortaſſè non eramus contemnendi, nec in aliud tempus reponendi. Ubicunq; tandem es, ſis felix, ſis fauſtus, noſtri tamen memor. Vale in Domino, & nos ama. Pultovio. XXX. Julii. MDCXXX.

EPISTOLA XCI.

LUBIENIO ANTISTITI.

NEcdum lectâ, ſed vel leviſſimè inſpectâ epiſtolâ meâ, ſcio, ſtatim cogitas, me non officii cauſâ ſcribere, ſed ut juſtiſſimam animi tui indignationem effugiam, quam certè in me Viſcovii futurum mox hoſpitem effunderes. Ego verò nunc demum me veniam à te facilè impetraturum ſpero, quando hoc ipſum apertè apud te candideq; confiteor. Si tamen ejus ſilentium, aut oblivionem, aut ingratitudinem interpretari potes, qui ſe apud omnes aurâ benevolentiæ tuæ jactat, apud te ſolum ſtyli tui veneratione tacet. Deniquè animos propè ſylveſtres per haſce venationes induimus, ego potiſſimùm, qui in humili & pervio ven-

tis

tis atquè imbribus tugario vel hoc ipſum ſcribere potui ac commentari, quod feſtîs diebus coram Rege (hæc ejus certè gratia fuit) pro concione dicerem. Pſtroconius noſter Vilnam abiit, Viſcovii mecum haud dubiè cum Rege futurus. Lithvani ita valedicere Regi videntur, ut ſalutationem parent. is rumor eſt, ſed evaneſcet credo hoc proximo metu belli Turcici, qui nos haud parum affecit, poſteaquàm columina illa Volhiniæ Podoliæq; ceciderunt. Sed hodiè præterea non uno authore allatum eſt, Caſimirum Sapieham Vilnenſem Palatinidem aquîs abſorptum eſſe, dum Bereſinam in Ruſſia amnem traiiceret. Alii figmenti inſtar habent, qui & tragicum Danilovicii exitum fabuloſum adhuc credunt. Te nobis DEUS diu florentem, diu lætum, bono Eccleſiæ, bono Patriæ præſtet. Grodnæ Idibus Decemb. MDCXXXVI.

EPISTOLA XCII.

LUBIENIO ANTISTITI.

CUm nuper Starczevio tuo familiari Prælato, literas ad te traderem; adeò leniter Rex decumbere cæperat, ut ab eo morbum prius abſceſſurum, quàm epiſtolam meam ſperarem ad te perventuram. Nunc præter opinionem & vota noſtra gravius aliquantò diutiuſq; decumbit, acriq; podagrâ & calculô nonnihil vexatur. Augent nobis curam nuncii ſanè triſtes, qui ſub ipſam noctem heri venerunt ex Caſtris: Turcas penè ſub aſpectum noſtrorum veniſſe, obſidionemq; Caſtrenſem

ſem moliri. Quæ res opinor venationem Plonſcenſem & Lithvanicum iter, de quo muſſitabatur in aula, incidet. Cæſariani cum Svecis ad Rhenum ſecundo prælio uſi. Veimarius lethali vulnere occubuit, natuquè minor Oxenſternii ſilius in manus hoſtium devenit. Hiſpani de Hollandis Ruremundam, duoquè alia non ignobilià Oppida cepêre. Trajecti obſidionem parant. Ego à te nihil aliud exſpecto, quàm te optimè valere, idquè ipſum ardenter ab eo precor, cujus tu gloriam apprimè in terris promoves, & auges. Vale Patriæ & Eccleſiæ decus. Varſaviæ VII. Non: Octobr: MDCXXXVII.

DIONISII PETAVII

è Societate JESU

EPISTOLA

ad

MATHIAM CASIMIRUM SARBIEWSKI

ex eadem Societate.

ROMAM.

QUàm multa nobis eodem tempore negotia ſint; hoc eſt doctrinarum tractanda genera (neq; enim aliîs rebûs occupamur) tametſi prædicare ipſum, fortaſſe puditum eſt, tacere tamen penitùs non oportet. Credo enim mirari te ac

ſub-

ſubiraſci mihi, quòd tam diu jam acceptîs literîs tuîs, nihil ad te ſcripſerim, ſic quaſi contemnam aut officiô illo tuo, ac tam prolixâ voluntatis erga me tuæ amicitiæq; ſignificatione non valdè movear. Tu verò neutrum ut de nobis ſuſpicêre, pro communi caritatis lege, proq; ſingulari de te judicio meo, majórem in modum abs te peto. Nam nec eum eſſe te, quem parvi facere debeam, vel ex eorum literis, quibuſcum vivis quotidiè, vel ex tuis ipſe cognovi; & quòd ultrò tu notitiam ac familiaritatem meã expetis, non poteſt non eſſe gratiſſimum. Primùm, quoniã id niſi jam nos amares non faceres. Eſt autẽ cùm amari per ſe jucundum ipſum, tum ſi ab altero provoceris, redamare neceſſe eſt, ac mutuum referre αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον ἤν καὶ δύνῃαι. Deindè tanta cum humanitate ac modeſtia primum illum ad amicitiam noſtram aditum tibi paraſti; ut nimius etiam hoc in genere fuiſſe, & plus aliquantò, quàm neceſſe fuerit, voluntati erga nos tuæ indulſiſſe viderere. Quare prius illud magis me tuis in literis delectabat. Nam quòd invidiosîs me laudibus, præter veritatem præterq; meritum onerasti, adeò neq; placuit neq; placere debet; ut niſi alterius, quòd mihi ſvaviſſimum eſſe dixi, jacturam vererer facere, aut nihil omninò aut ſeverius ad te ſcriberẽ. Quamobrẽ, iſtam etiam cauſam tarditatis in ſcribendo meæ, ad ſuperiorem illam occupationum ſtudiorumquè noſtrorum debes adjungere. Quanquam hæc ſanè præcipua fuit, quòd eodẽ tempore tam multa tamq; diverſa molientem, cæterarum pænè rerum oblivio capiebat, aut ut earum aliquando recordarer, quòd de reſcribendi hoc officio

[negare

negare non possum, identidem illud in tempus utrumq; differens. Sed cujusmodi nostræ illæ occupationes fuerint, insequens annus ostendet. De acumine nimis tu quidem subtilitèr & acutè, vix ut ipse satis intelligam, quæ tu fortasse brevius attigisti, quàm ut nos humi repentes assequi possemus. Ego de acuto quatenùs in oratione dictisquè cernitur (nam in cæteris infinitè patet) ita sentiebam: id ita vocari, quòd & præter communem usum expectationemq; sit, & cum re, de qua agitur, maximè conjunctum. Ita fit, ut ad genus τῶν πρός τι pertinere videatur, ac tam dissentanea quàm consentanea ambitu suo contineat. Hanc acuti descriptionem exempla illa persvadent, quæ in Epistola tua posuisti, quæq; aliundè colligi innumerabilia possunt. Quæ si diligenter animadverteris, duo quædam inesse videbis, propter quæ tum acuta nominantur, tum audientis animum admirabilitate, aut etiam jucunditate percutiunt; nimirum quòd & παρὰ προσδοκίαν accidunt, & mirificè ad rem attinent. Quæ etiam sunt ejusmodi, altius penetrant, & insignius sui vestigium animis imprimunt. Hoc verò est τῶν ὀξέων, id est acutorum proprium. Mea hæc est de acumine acutoquè sententia, quantùm celeri mentis cogitatione, subitoq; impetu consequi potui. Tu, cùm opus de acumine, quod polliceris, elucubrabis, non dubito quin plenius & acutius tibi ipsi respondeas. Vale interim & nos amare perge. Parisiis.

MATHIÆ

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEWSKI

Societatis JESU

ODÆ QUATUOR

Interprete

SAMUELE

de Skrzypna

TWARDOWSKI.

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEWSKI

Societatis JESU,

AD EQUITES POLONOS

Libri 4. Od. 1.

ÆTerna magnis carmina Carpati
Inſcribo ſaxis. Diſcite poſteri,
Caſtiſquè diſcendum puellis
Et pueris geminate carmen.
Fruſtra Poloni cingimus oppida
Muris, & arces addimus arcibus,
Delubra ſi ſquallent, & altis
Cælituum viret herba tectis.
Fruſtra caduci fulminis artiſex
Moles, ab alta turre remugiit,
Si mæſta reſpondere cantu
Templa negant, Superumq; pridem
Sacro ſtupeſcunt æra ſilentio.
Quòd ſi nec idem ſit Superis honos
Templis in îſdem, nec ſub una
Lege ſuperſtitioſioris
Per ora vulgi relligio fremat;
Cives in îsdem non benè claudimur
Portis, & infelix eumdem
Inſtruimur acies in hoſtem.
A plebe Numen ſeparibus malè
Placatur aris, ſcimus ut impias

Vaſtata

MACIEIA KAZIMIERZA SARBIEWSKIEGO

Societatis JESU

DO RYCERSTWA POLSKIEGO

Ode 4 Księgi 1.

Oyczystą Muzą.

Wieczną, na wielkiey Krępakowey skale
Rysuię piosnkę; umieycie ią cale
Potomne czasy; niewinne dziewczęta
Niech ią i pozne śpiewaią wnaczęta.
Prożno Polacy Miasta muruiemy,
Prożno i zamki do zamkow łączemy,
Jeśli w Kościołach pustki, a wynioste
Swiątnic fabryki chwastami zaroste.
Prożno hucznemi z fortec Kartanami
Puszkarze miecą swemi piorunami,
Jeżeli Chory Kościelne pauzuią,
A nieme dzwony wieże swe piastuią.
Jeśli też w iednym będących Kościele
Wyznania Boga iest przeciwnych wiele,
A gminu ludzi, prze ich dzikie zdanie,
Prawa, i Wiary dziwne pomieszanie.
Za iedną bramą źle w mieście siedziemy,
Zle w iednym szyku Oyczyzny broniemy,
Ofiary Bogu, nabożeństwa rożne,
Błagania Nieba, sposoby to prożne.
Kto niewie Grekow? że o Wierze swary
Włożyli piękną Grecyą na mary.

Vastata Grajorum per urbes
Sacra suis periêre rixis.
Fumant propinquæ templa Bohemiæ:
Conclusa regni viscera Pannones
Flevêre collatis in unam
Viribus incubuisse stragem.
Hinc inde lævos despice Carpato
Polone campos; quos pecorum ferax
Dravusquè, Savusquè, & bicornis
Frugifero secat Ister amni,
Quanto careret corpore Thracius
Regni Tyrannus, si bene mutuas
Mentes & obligata Divis
Barbarus extimuisset arma!
Atqui timendæ Panno potentiæ
Vallârat altis oppida mænibus,
Pontemquè dedignatus omni
Danubius famularis undâ
Cingebat Urbes; sed quid inutili
Possent scelestæ præsidio manus,
Quas ira non læti Tonantis
Riserit, Indigetesq; Divi?
Jam nunc Polonis fata Quiritibus
Edico vates; dum tibi consona
Votisq; cantuq; & Sabæo
Thure calent precibusq; templa;
Omnis recurvo Lechia poplite,
Dum, Virgo, primâ, dum mediâ die
Dum te salutamus supremâ,
Et dubio tibi lucis ortu
Septena coram flamma Decembribus
Collucet aris, dum tibi patrium

Gdy ſię gmin w Boſkie wdaie taiemnice,
Kurzą ſię Czeſkie ſąſiedzkie Swiątnice.
Wnętrznym wzruſzeniem utracone zdrowie
Królestwa ſwego płaczą cni Węgrowie,
Zebrane w kupę wſzyſtkie możne ſiły,
Oraz przeciwne wiary potopiły.
Rzuć z Tatr Polaku w lewo twoie oko
Na pola bydeł pełne, z kąd ſzeroko
Draw i Saw płyną, i z kąd ſzerokiemi
Wiezie obſitość Dunay brzegi ſwemi.
Zażby tak uroſł ow Tyran Sztambołu,
Kiedyby widział ſerca wſzech poſpołu
Swornych Chrześcian w iednym Wiary pęcie?
Zprzyſięgłe ſiły byłyby mu wſtręcie.
A wſzak ſwym siłom Węgrzyn poduſały,
Już był opatrzył ſwe fortece wały;
A w brzegach pełnych rozłożyſty Dunay
Przeſtrzegał przez mię, o moście nie dumay.
Bronił ten do miaſt przyſtępu ſnadnego;
Ale Bog gniewu nieubłaganego,
Złych rąk obrony hańbi i nadzieie,
Z których ſię oraz całe niebo śmieie.
Wieſzczym ia duchem z Nieba obietnice
Nioſę krwi Polſkiey: poki ich Swiątnice
Zgodnemi śluby, modłami, i pieniem,
Jednym kadzidła ciepłe ſą paleniem.
Poki i tobie pokorne kolana
Polſka nachyla, kiedy Zorza rana
Jaſne południe i mrok pożny każe,
O Panno wolna od wſzelakiey zmaze:
Pokić ołtarze, kiedy w Grudnia świta
Swiec ſiedmią iaſne, i trwa ſtarożyta

Pieśń

Pæana dicit, ſuppliceſquè
Accumulat pia turba ceras.
Noſter nivoſo Viſtula Carpato,
Noſterq; ab ipſo fonte Boryſthenes
Labentur in Pontum; nec Auſtrum
Aut Gothicam metuemus Arctos.
Errorné mentes ambiguas rapit,
Aut clamor aures? vox gravior cava
Reſpondit è nube, & ſerenum
Non dubii micuere Divi.

Ejuſdem

Lib: 4. Ode XXXVI.

EXteros mores prohibete pulchrâ
Lege Thebani; patriaſq; leges,
Et pios ritus, & avita gnatos
Sacra docete.
Templa Fas ſanctum, fora luſtret Æquum,
Veritas & Pax & Amor per omnes
Ambulet vicos; ſcelus omne caſtâ
Exulet urbe.
Nullus eſt murus ſceleri; per altas
Urbium turres, triplicesq; portas
Pæna perrumpit; vigilant in omnes
Fulmina culpas.
Concolor Vero Dolus & ſuperba
Exulet regni ſitis, & cupido
Deſidis lucri, tacitoq; regnis
Copia luxu.
Publicos diſcat geminare cenſus
Sæva paupertas, & in arma ferrum

Sit

Pieśń Przodkow naszych, a gmin pospolity
Pokornieć pali z prosta wosk uwity.
Nas samych Wisła i Dniepr niech napawa,
W morza swe idąc poki biegu stawa,
A my ni wichrow z południa się bòymy,
Ni się o Arkton pòłnocną frasuymy.
Mylę się? czyli głos z powietrza czuię?
Głos mi poważny nadzieię cukruie:
A na znak co się chmurą kęs zadęło,
Zaraz i Niebo pogodą błysnęło.

Tož na Polskie

Muzą Oyczystą.

PRzewoźne prawem znieście obyczaie
Cni Thebanowie, przodkow swych zwyczaie
Podaycie dziatkom, ktòre dał wiek stary
Prawa i Wiary.
Kościoły Swiątość, Sprawiedliwość Grody,
Prawda, i Pokòy, i Zgoda Swobody
Niech wasze zdobią, do Miast ma niecnota
Zawarte wrota.
Każdy mur niski niecnocie, w też tropy
Pomsta ią ściga, ktòrey ni okopy
Ni troy wzwod zbroni; wisi nad zbrodniami
Kaźń z piorunami.
Precz od was Fałsze szczerością pokryte,
Precz panowania przepych, i niesyte
Chciwości zyskow, i marny pożytek,
W dostatku zbytek.
Oyczyznie samey niech służą podatki,
Krwawy pot ludzki, i wasze dostatki

Zela-

Sit ſatis; rapto male pugnat olim
Miles in auro.
Sive res bellis agitanda, ſive
Pace; collatas ſociate vires.
Alta centenis meliùs recumbunt
Templa columnis.
Inter errantem ſcopulos carinam
Certiùs plures docuêre ſtellæ:
Fortiùs proram gemino revincit
Anchora nexu.
Gliſcit æterno ſociale nexu
Robur; arcanas opulentiorum
Ira per rixas agitata, magnas
Eruit urbes.
Hæc ubi dulci modulante nervo
Dixit Amphion; ter eunte fluctu
Subſtitit Dirce, ter opaca movit
Terga Cytheron.
Saxa repſerunt, ſcopuliq; circum
Devio campos petiêre ſaltu,
Et nemus, pronuſq; ſilex ab alto
Monte cucurrit.
At ſimul Vates tacuit; per omnem
Barbaræ rupes coiêre murum &
Septies clauſæ ſteterunt aheno
Cardine Thebæ.

Ejuſdem Epodon Ode IV.

De Puero JESU in V. Matris ſinu.

AMemus. an Maſſilus, aut noſtris riget
Alpinus in venis ſilex?

Ame-

Zelazo woyny ſprzęt ieſt; prożna pſota
Zbroia ze złota.
Lubo wam woynę, lubo pokoy miły
Przyidzie obmyślać; znoście zgodne ſiły.
Pałac, im gęstſze ma w ſobie filary,
Trwa lat bez miary.
Okręt, na ktòrym ſzturm na ſkały iedzie,
Tym lepiey, im go gwiazd gromada wiedzie,
Gdy kotew haki trzyma go dwoiemi,
Dobrze mu z niemi.
Dąb gałęziami z towarzyſzem ſpięty
Beſpiecznie roście; a na ſię zawzięty
Roſterk, i możnych bohaterow ſiła
Miaſt pogubiła.
Na to przy Lutniey Amphiona pienie,
Trzy razy Dyrcę ſwe byſtre ſtrumienie
Uięła; gęſty a Cytheron w koło
Poſzedł weſoło.
Czołgać ſię ięły kamienie; a ſkały
Z gòr ſię ſpuſcnoſzy w polu tańcowały:
Oſtre krzemienie w pole pląſy nioſły
I gay zaroſły.
A ſkoro przeſtał Muzyk śpiewać, ali
Zwabiony kamień ſam ſię w mury wali;
Wnet w ſiedm żelaznych bram, według potrzeby
Stanęły Theby.

Tożna Polſkie

O P. Jezusie na Macierzyńſkich rękach

Kochaymy; czyli ſerca wſzytkich razem,
Okrzepły nam twardym głazem?

Kochay-

Amemus. en ut pronus è Matris sinu
In nostra pendet oscula!
Qualis severa vel Gelonorum puer
Mollire posset pectora.
Ut lumen oris, & renidentes genas,
Ut bina frontis sidera,
Nivesq; colli, quasq; purus & tener
Titan inauravit comas,
Eburneasq; tendit in collum manus!
Ut annuit totus rapi!
Ut hospitali vagit admitti sinu,
Stringiq; brachiis rogat!
Amemus; aut si non amare possumus,
Repentè possimus mori.

AD PRINCIPES EUROPÆ

De recuperando Orientis Imperio

LIB: I. ODE IV. VI.

NOndum minaci cornua Bosphoro
Decussit audax Pontus, & efferis
Servire Neptunus Gelonis
Turpè gemit, resonasq; fluctu.
Plangente ripas Thraca rebellibus
Immugit undis: Æmathiam pudet
Frænos momordisse, & Pelasgos
Odrysiis dare colla loris.
Mærent tenaci compede Cyclades
Pigræ moveri: mæret Achaica
Tethys inæqualesq; campi
Perpetuo lacrymantur Hebro.

Sem-

Kochaymy: ato z Macierzyńskiey ręki,
Rwie się k nam z usty przez dzięki!
Jakowa zmiękczyć mogłaby dziecina
I dzikiego Tatarzyna.
Ato ust rubin, perłom równe lice,
Gwiazdy szczere dwie żrzenice.
Na szyikę białą kędziorki spuszczone,
Złotem słońca powleczone.
Nad kość słoniową bielsze ściąga ręce,
Wydrzeć się każe Matence.
Z płaczem bydź pragnie gościem twego łona,
I więźniem twego ramiona.
Kochaymy: albo ieśli serce z stali,
Niech nas w grobie głaz przywali.

Toż na Polskie.

JEszcze Europa nie przytarła rogów
Azyey, tam gdzie swych pilnuie progów
Neptun w Tatarską niewolą zabrany,
W Thracyey rzeki na swe ięczą Pany.
Greckie się tego wstydzą Monarchie,
Że pod Tureckie iarzmo dały szyie;
Ziemice się iuż w łyka te dostały,
Co wolnym kołem po morzu pływały.
Achaickie się rozkwiliły wody,
Górzysty Hebrus płacze na swe szkody
Czy Murzynowie słońcem opaleni,
Albo Indowie Gangiem ochłodzeni,

Semperné nigras Æthiopum domos,
Vel, quæ superbus præfluit oppida
Ganges, Abydenasquè turres
Supplicibus tremuisse pinnis
Formidolosam juverit Artacen?
Sesequè captum Bosphorus omnibus
Undis, Erythreoquè & alto
Jonio, Arabioquè ploret?
Vani futuri temporis augures
Fecunda rerum sæcula discimus;
Si non retractamus fideli
Tela manu, tacitoquè gaudet
Vagina ferro: si clypei vacant
Hastæquè & arcus: non animi placent
Parci laborum, non magistræ
Consilii, sine Marte, linguæ.
Frustrà Novembres dicimus ad focos
Pugnata Rhætis bella sub Alpibus:
Frustrà renarramus Gelonum
Versa retrò retulisse signa;
Si non & ipsi stringere Noricos
Audemus enses, quos malè barbara
Non decoloravêre terga,
Sed Tyrio Latiale fuco
Illevit aurum, non sine gemmeo
Circumsonantis fulgure balthei, &
Grato catenarum tumultu,
Et sonitu phalerarum acuto.
Formosa fortes arma timent viros,
Frangiq; nolent, seu profugus Scythes,
Seu creber è campis agetur
Mirmidonum Dolopumq; nimbus.

Qui-

Czołem bić zawſzeż czyli Abideńſkie
Wieże ſię ſchylać, i wy Artaceńſkie
Mury boiaźnią będziecie ſię chwiały,
I morza wſzytkie będą hołdowały?

Prożno przypadkom przyſzłym zabiegamy,
I przeſzłych wiekow dzieła wſpominamy;
Jeżeli dawnych ſpraw nie powtarzamy,
Ani żelaza z pochew dobywamy.
Jeśli kopiie, puklerze pod ławą,
Mało to, ieśli ięzyka ſtać ſławą
Samego chcemy: ieśli Seymy ſkładać
Tylko umiemy, a nie bronią władać.
Więc przy Jeſiennym daremno kominie
O zbitym ſobie prawiem Tatarzynie:
Darmo wſpominać woynę Retuſowę,
Tudzieſz wyprawę ſławić Jowiſzowę,
Jeśli ſię ſami do ſzabel nie mamy:
Ktòre nie ſieymi krew zdobi farbami
Nieprzyiacielſka, lecz złoto ſzmelcuie;
A pas Rycerſki diament haftuie;
Łańcuchy złote wdzięcznie ſię mieſzaią,
Drogie Czapragi cienki dźwięk wydaią.

Nie będzie żołnierz oprawnym ſzermował
Smiele pałaſzem, by ſię nie zepſował.
Choć, mòwię, ſzczęście Ordy pędzić będzie,
Chociaſz na karkach Tatarſkich uſiędzie.

Jako

Quicunq; furas & caput induet
Auro, Quirites; exuet Italum,
Civisq; Romanus negari
Non timido patietur hosti.
Nec qui capillum finget, & aureum
Solem refusis crinibus allinet,
Dicemus Umbrum; qui frementes
Antiochi, Annibalisq; turmas
Rursum efficaci diruat impetu,
Alpesquè, clausumquè intrepidâ manu,
Perrumpat orbem. Sic citatis
Sæcula degenerare metis
Sancit futuri temporis arbiter;
Certoquè prudens ordine segreges
Metatur annos. Nunc severis
Artibus, ingenioquè pugnax
Affulget ætas, nunc melior foro
Gestit disertis fervere jurgiis.
HæcThracas,audacemq;Bessum,
Hæc Cilicas pavidosquè Seras
Produxit ætas. Nos serio piger
Effudit Orbis, dedecus ultimum
Mundi, fatiscentisquè naturæ
Opprobrium. Malè nata proles
Quidquid bonorum restitit, heu nefas!
Morum sceleftâ deterimus notâ,
Mentisquè, & excelsi latrones
Ingenii, violenta fraudum,
Tormenta, sanctis addere dotibus
Laudamur ultro: nec scelerum pudet;
Virtusquè clamatur sagacem
Flagitio violare dextram.

Jako złocistą zbroię na się włożysz, (*żysz.*
Przodków twych dzielność oraz z siebie zło-
Rzymianinem cię nieprzyiaciel srogi
Nie uzna mężnym woiuiąc bez trwogi,
Ani ia tego co się z promieniami
Chce trafionymi porównać włosami,
Znam za potomka Umbrów starożytnych,
Którzy by znosił Annibalow bitnych:
Na Alpes drogi zarosłe torował,
I świata bramę tudziesz opanował.
Bóg tak sam czasy odmienne szykuie,
Że wiek, po dobrym, gorszy następuie.
I lata pewnym porządkiem prowadzi.
Raz się dowcipem każdy z drugim wadzi:
Po Filozofskich utarczkach, Sędziowie
Jak siędą, swary zaczną Jurystowie.

Tych lat odważni powstaną Bessowie,
Owych nie mężni żyią Cylikowie.
Nas na ostatki wydał świat zgrzybiały,
Kiedy natury siły ostabiały,
Na swą sromotę potomków zrodzonych,
I na niesławę wieczną potępionych.
Cokolwiek dobrych obyczaiów było,
To się złoczyństwem wszytko utraciło.
Z cnót animusze własne odzieramy.
A w maszkary ie niecnot ubieramy.
Niewstyd, lecz chwała, iest to zawołana,
Ręka rozlaniem krwie sprofanowana.

Przy-

Iras & enſes vendimus, & manum,
Hàc, unde nummis aura refulſerit;
Sparſiquè tinnitus ad auri
Sollicitâ vacat aure vulgus.
Et quà ſecundis jecit honoribus
Benè ominatam mobilis aleam
Fortuna, mentitur caducæ
Plebis honos, poſitoquè fallax
Accumbit omnis poplite civitas,
Perjura feſto ſurgere cum joco,
Cùm pompa ſtipantûm, & doloſi
Præteriit breve fulgur auri.

Przyiaźń i zdrowie przedayne noſiemy,
Gdzie nas wiatr pędzi łakomſtwa, bieżemy.
Co żywo uſzu pilno nadſtawuie
Gdzie głośnym złotem Podſkarbi ſzafuie.

Komu w wyſokich nieſtateczne płużi
Szczęście Honorach, temu wſzytko ſłuży.
Jako potęga uſtanie z ſkarbami,
Wſzyſcy ſię z ciebie nakarmią żartami.

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEWSKI ODÆ

Interprete

PETRO PUZYNA

Societatis JESU

CARMEN VOTIVUM

AD BEATISSIMAM VIRGINEM

MARIAM

Ex Sarbievio lib: 4 Od. 20.

REgina terris non humili Deum
Enixa partu, cui vigiles comam
Flammæ coronavêre & albo
Sidera circumiêre gyro;
Utcumquè viles reſpitis aurea
E nube terras, lenior excipe
Non ante teſtudo locutis
Quæ mea cumquè ſonatCamœnis
Me torua circum mugiat horrido
Malea ponto, me ſera ſorbeat
Charybdis, enantem per ipſas
Eripiet tua dextera morteis.
Importuoſi ſeu iubar æquoris
Audire gaudes, ſeu Pelagi Pharos,
Seu certa tu mavis vocari
Ambiguis Cynoſura nautis:
Seu navis olim credita naufragum
Servaſſe ſæclum, cùm ſcelerum Pater
Ultor ſuperfuſo Gigantum
Obrueret genus omne cælo:
Me peſtilenti Sirius halitu
Afflet; caducum tu benè proteges
Umbrâ clientem, ſeu comanti
Dulcè vires Terebinthus auro,
Seu celſa gaudes Cedrus in arduo
Nutare Sina, ſeu Libano ſuper

Cupreſ-

POCHWAŁA PANNY PRZENAYSWIĘTSZEY.

KRòlowa, ktòraś z nielada połogu
Wraz Boga światu, Syna dała Bogu:
Ktòrey się snuie na czoło
Swietne gwiazd niebieskich koło.
Zkądkolwiek złotym wieziona obłokiem
Na lichą ziemię świętym rzucasz okiem;
Nakłoń ucha łaskawego
Rymom Pòëty nowego.
Huczcie Charybdy, niech fale Malei
Zalewaią mię, krom żadney nadziei;
Twoia mię z zginioney toni
Wyrwie ręka i obroni.
Lub władną morza gwiazdą być wzywana,
Lubo Faryiską za latarnią miana:
Lubo spoyrzeniem życzliwym
Raczysz żeglarzom wątpliwym:
Lub w ktòrey niegdyś z powszechney powodzi
Swiat się ratował, o mistyczną łodzi;
Kiedy pyszne z Olbrzymami
Zamki Bòg zalał wodami.
Niech zaraźliwe Syrius upały
Wyleie, w cieniu twoim będę cały.
Lub masz wdzięcznie umaiony
Terebint miedzy imiony:
Lubo na Synai gòrze Cedr wysoki,
Lub Cyprys zaszły z Libanu w obłoki;

Cupressus, aut latè Cadanis
Populus aspicienda campis.
Dicam & minoris carmine barbiti
Inter severas nobile lilium
Florere spinas, & comantem
Flore Deo tremuisse virgam.
Cingat frementûm me globus hostium,
Dicêre denso exercitus agmine
Alas, & æqualem reductis
Cornibus explicuisse campum:
Dicêre Virgo turris, eburnea
Dicêre turris, quam nec aheneus
Perrumpat imber, nec ruinam
Flamma gravi meditata plumbo.
Quòd si canoro carminis alite
Indis morantem Musa cubilibus
Hortetur exire, & nigrantes
Lucè novâ reparare terras;
Non & benignis respuis auribus
Aurora dici: surgis & integro
Nunc luna vultu, nunc Eoo
Cynthius inveheris triumpho.
Quocumque gaudes nomine, me tuum
Tuere Mater; si mihi per tuas
O Virgo, non immunis aras
Mica salit, Cilicesquè nimbi.
Hic Vaticanis non sine laureis
Appendo functum carmine barbitum, &
Olim Polonorum trophæa
Sollicitam cecinisse buxum.

Lub czyſte Kadanſkie pola,
Udatna ſzczyciſz Topola.
Ani przepomnę cienſzemi ſtronami
Doſtoyney miedzy liliey cierniami,
Też cię i roſzczką wſpomioną
Boſkim kwiatem ozdobioną.
Jeśliby kiedy mię przeciwney ſiły
Gdzie natarczywe huſce obſkoczyły;
Wzowę cię, tak obegnany
Obozie uſzykowany.
Wtedy mi wieżą bądź z ſłoniowey kości,
Ktòrey nie razą Marſa nawałności,
Ani zaẛadzą ruiny
Grad kul, i ogniſte miny.
Zamieſzkanąli z wſchodniego pokoia
Weſpòł ze wdzięcznym ptaſtwem Muza moia
Abyś światło nowe dała,
Na świat będzie wyzywała;
Niegardź zaranną iutrzenką być zwana:
Lubo iuż w twarzy zupełney Dyana,
Już w triumfalney karocy
Słońcem wyieżdzaſz po nocy.
Jakiemi kolwiek ſzczyciſz ſię imiony,
Przytul mię Matko do twoiey obrony,
Jeślić na ołtarz z ohydą
Moie kadzidła nie idą.
Tuż Watykańſką zawieſzam bandorę,
Ktòrą wiecznego Lauru wieńce ſporę
Oſuły za opiewane
Waleczney Polſki wygrane.

DO

AD BEATISSIMAM V. M.

Ex Sarbievio Lib: 4. Ode 22.

QUando te dulci ſine prole ſolam
Miror Eoo reducem cubili,
Miror Auroram croceo rigantem
Æthera nimbo.
Mater at nato ſimul adſtitiſti;
Integram miror radiare lunam,
Ora debentem radioſquè & almo
Lumina Soli.
Cinge maternis puerum lacertis:
Sol eris; vel quæ vigil explicatis
Siderum turmis Acies tonantem
Circumit aulam.

AD VIOLAM

Ex Eodem Lib: 4. Ode 17.

AUrora veris, punicei recens
Regina campi, cinge mei precor
Frontem puelli: cur ſub auro
Parvulus heu gravibusq; gemmis
Aut ſub prementis ſidere purpuræ
Laboret? ô cui pauperies mei
Regnum dicavit; necte ſertum,
Necte meo diadema Regi.
Parvo coronat munere ſe Deus.
Plerumq;, ſi quæ paupere dat manu
Dives voluntas: dona magnis
Parva animo placuêre magno.

AD

DO NAYSWIĘTSZEY P. M.

Kiedy cię ſamę krom ſyna wdzięcznego,
Widzę na łonie ſpoczywaiącego;
Jutrzenkę, ktòra w perły roſę toczy
Miewam przed oczy.
Lecz ſkoroś ſyna mi na ręce wzięła,
Pełnymeś w oczach Xiężycem ſtanęła,
Xiężycem, ktòry z bliſkiey ſwego twarzy
Słońca ſię żarzy.
Obłapże Matko toż Pachole małe;
Ali iak ſłońce pałaſz doſkonałe;
Albo ſię czuynych gwiazd po Niebie złotem
Toczyſz obrotem.

DO FIOŁKA.

Fiołku ślicznej wioſny zorzo, ktòry,
Naypierwſze wonney pole bierzeſz Flory;
W ciężkiey z peret i złota mdleiące koronie,
Obeydź lżeyſzym, dzieciny Boga, wieńcem ſkronie.
Swietnać purpura, lecz nie pòtym czele:
Cięży nie zdobi kleynotow takwiele.
Więc poniewaź uboſtwo mym Krôlem to Dziecie
Obrało: ty koroną bądź poziomy kwiecie.
Częſto rzecz mała Boga kontentuie,
Jeśli ią hoyna wola ofiaruie.
Za wiele zawżdy możni poczytaią mało,
Kędy lubo dar mały, wielkie ſerce dało.

AD ROSAM

Ex Eodem Lib. 4 Ode 18.

Siderum ſacros imitata vultus
Quid lates dudum Roſa? delicatum
Effer è terris caput, ô tepentis
Filia cæli.
Jam tibi nubes fugiunt aquoſæ,
Quas fugant albis Zephyri quadrigis:
Jam tibi mulcet Boream jocantis
Aura Fauoni.
Surge, qui natam deceant capilli
Mitte ſcitari; nihil heu profanæ
Debeas fronti nimiùm ſeveri
Stemma pudoris.
Parce plebeios redimire crineis,
Te decent aræ: tibi colligenda
Virginis latè coma per ſequaceis
Fluctuat auras.

SPONGIA
AD LACHRYMAS DETERGENDAS

Ex Sarbievio L. 1. Ode 2.

INdignas, Lyce, nænias,
Et mæſtum gemitu pectus, & hiſpidis
Frontem nubibus expedi;
Cùm Sol non ſolito lumine riſerit,
Et fortuna volubilis
Fati difficilem jecerit aleam.

Quod

DO ROZY.

ROwną Planetom twarzą ozdobiona,
Pokiż Różo pieszczona
Odwłoczysz przyścia twego?
Wyniknii Córo powietrza letniego.
Tobie pierzchaią chmury pełne wody,
Gdzie Zephyrus w zawody
Poczwornych pędzi koni,
I Akwilony łagodzi Fawoni.
Wynikay, myśli porzuciwszy owe
Czyię masz wieńczyć głowę?
Nie ci do mniey świętego
Czoła, o herbie wstydu surowego!
Prożno się na cię kto z gminu zawodzi.
Ołtarzom się twoy godzi
Kwiat, tobą rozpuszczony
Maryi warkocz ma być zapleciony.

CHUSTKA
NA ŁEZ OTARCIE.

PRecz nieprzystoyne kwilenie,
Otrzy pochmurne czoła smutku cienie,
I z łez osusz iagody,
Choć słońce zwykłey umknęło pogody.
Lubo cię odmiana smuci,
Gdy snać Fortuna trudną kostkę rzuci.

Morze

Quod vexant hodie Noti,
Cras lambent hilares æquor Etesiæ.
Mæstum Sol hodie caput,
Cras lætum roseo promet ab æquore.
Alterno redeunt choro
Risus & Gemitus, & madidis propè
Sicci cum Lachrymis Joci.
Nascuntur mediis gaudia luctibus.
Sic fatis placitum. suis
Tempestiva fluunt fata periculis.
Fessos duxit heri boves,
Dat magnis hodie iura Quiritibus:
Et quæ bobus ademerat,
Imponit Gabiis & Curibus iuga.
Idem Phosphorus aspicit
Magnum, quem tenuem viderat Hesperus.
Quòd si seria ludicris
Fortunæ placeat texere; rusticus
Hesternam repetet casam,
Ridentis populi non humilis jocus:
Et queîs rexerat omnia
Findet laurigeris ligna securibus.
Quòd si defuerit salix,
Fasces pauperibus subiicet focis.

PARÆNETICON
JUVENTUTI.

Ex Sarbievio l. 1. Ode 4.

VIve jucundæ metuens juventæ
Crispe Lævini; fugiunt avaræ

Mensi-

Morze co dziś Notus wiie
Ugłaſzczą miłe iutro Etezye.
Dziś ponure ſłońca czoło;
Jutro z rożowych wod wſtanie weſoło.
Smiech i Płacz z ſobą na chory
Wzaiem śpiewaią: a płaczliwey pory
Tuż ſuche Zarty ścigaią,
Z Smutkow Pociechy początek miewaią.
To ieſt wieczne fatow zdanie,
Ze wſzytko nagłey podlega odmianie.
Wczora pług wiodł zpracowany,
A dziſia wielkie ſprawuie Rzymiany,
I z ktòrego wyprzągł woły,
Przekłada iarzmo na nieprzyiacioły.
Jak ſię rano wielkim ziawił,
Co go był ſzczupłym Heſperus zoſtawił?
Zechcieli Fortuna wzaiem
W żart ſwym obrocić powagi zwyczaiem;
W wieyſkie zaſię piekarniſko
Powroci znaczne gminu pośmiewiſko.
I drew ſnać ſczepać do boru
Zażyie, ktòrym świat rządził, toporu.
Ba Faſces w drew niedoſtatku,
Na lichy komin podłoży w oſtatku.

NAPOMNIENIE MŁODOSCI.

ZYi, lecz w boiaźni ſwobodna młodości;
Widziſz iak krótko w iedney porze gości

Mensium lunæ, nimiumquè volui
Lubricus æther.
Tu licet multo radiatus auro
Gemmeâ vestem moderêre zonâ
Et super collo Tyrias amicet
Fibula lanas:
Jure Phænissis vaga penna cristis
Stare labenti dubitat galero:
Jure, quo fulges, timidum resigi
Palluit aurum.
Quod tibi largâ dedit hora dextrâ,
Hora furaci rapiet sinistrâ;
More fallentis tenerum jocosæ
Matris alumnum.
Mobiles rerum dubiiquè casus
Regna mortalis tenuêre vitæ:
Sedulus metæ properat fugacis
Impetus ævi.
Tardiùs ponto volat Adriano,
Quam ratem mersi pepulere remi,
Et repentinis animosa trudunt
Carbasa ventis.
Omnibus mundi dominator horis
Aptat urgendas per inane pennas:
Pars adhuc nido latet, & futuros
Crescit in annos.

PROSCRIPTIO
LUXUS è MILITIA
Ex Sarbievio l. 1. Ode 11.

NOn auro, nequè tinnulis
Pugnandum phaleris. & chlamydum sinus
Et

Skwapliwy Xiężyc, i po śliſkim ledzie
Gwiazd obrot iedzie.
Choć byś we złoto wyborne bogaty,
Perłowym buczne paſem ściſkał ſzaty,
I Tyrſki ſzarłat u ſzyie złocona
Zbierała ſpona.
Słuſznie ſię z piorek Fenickich uwita
Na nieſtateczney czapce chwieie kita:
I złoto ktòrym ſię lśniſz na złodzieie
Pomnąc blednieie.
Coć hoyną dała godzina prawicą,
Godzina byſtrą zaś porwie lewicą,
Jako więc łudząc maluczkiemi dziatki
Grawaią Matki.
Znikomych rzeczy wątpliwe przygody
Wy śmiertelnemi władacie narody,
A w tym ſię pilno do ſwego nie pieſzy
Kreſu wiek śpieſzy.
Nie tak więc byſtro po Adryiſkiey wodzie
Okręt ktòremu boki wioſło bodzie,
Leci, gdzie wiatry rozpoſtarte nagle
Porwały żagle.
Wſzytkie godziny Pan, ktòrym świat ſtoi,
W prędſze lekkiego wiatru ſkrzydła ſtroi,
Część ieſzcze w gniaździe, i na przyſzłe pory
Obraſta piory.

WYTRĄBIENIE
ZBYTNICH STROIOW
Z OBOZU.

NIe złotem, ani brzmiącemi cackami
Woiuią. precz te ſzaty z fałdami

Zby-

Et nodos, & inutiles
Gemmas belligeris demite brachiis.
Quid lævem galeam juvat
Plumarum volucrem ferre ſuperbiam?
Cur ſparſas agitat jubas,
Et conus tremulis annuit Africis?
Cur tectum pavidam caput,
Ementitur avem, cùm leve ſibilis
Aurarum, & Zephyri joco
Furtum Mygdoniæ proditur alitis?
Jam grando chalybum imminet,
Telorumq; frequens aura volantium
Imbelli galeæ inſonat:
Jam Martis tonitru mugit, & obvium
Medi fulgur acinacis.
Quid proſunt phaleræ? quid galeæ iubar?
Quid lætæ Zephyris comæ?
Aut umbo clypei, quòd procul æmulis
Lucem ſolibus invidet?
Quid vultus nimiùm ſedulus adſpici?
Quid pictus pharetræ timor?
Aurum frenigerâ reiice dextera:
Ferro res eget & manu,
Et magnis animis: hæc tuleris tria,
Dicam Geryoni parem,
Quem nec populifer proruat Hercules,
Nec cælo nimius Mimas,
Nec durâ Idomeneus, aut Sthenelus manu.
Bellis adſit idonea
Incomptæ facies lege ferociæ,
Quàm fuci decor abſtinens,
Laſcivæq; carens forma proterviæ,

Et fer-

Zbytniemi. a z bark męſkich lepiey żeby
Perłami dziane zrzucić potrzeby.
Co do przyłbicy ſtaliſtey należy,
Ze ſię piorami hardo naieży?
Co przyda na ſam hełm włożona grzywa,
Z lekkiemi wiatry gdy poigrywa?
Znać że iuż głowę boiaźń obleciała,
Co pod tym pierzem w ptaka ſię wdała,
Zkądkolwiek wionie Zefir na przyłbicę
Struſiey kradzieży wyśmiewa lice?
Już ſię zaburzył grad hartowney ſtali,
I gęsty obłok ſtrzał iuż ſię wali,
Już Marſa zewſząd gromy ſurowego
W koło ſzyſzaku huczą miękkiego.
Czy natarczywey mieczow błyſkawicy
Zdołaią rządy, i błąſk przyłbicy?
Czy igraiący czub z Zefirem piory
Czy tam pomogą zbroie polory?
Czy tarcz na przekor ſłońcu glanſowana!
Czy na wab oczom twarz wymuſkana?
Strach malowany, ſaydak malowany:
Odrzućże złotem rząd nabiiany.
Ręki tu dzielney, żelaza pewnego,
Serca i ſtatku trzeba wielkiego:
Tę troygę miawſzy doydzieſz Geryona,
Ze ſam Herkules cię nie pokona.
Nie Mimas, lubo tłukł niebios zapory,
Nie Stenel, ani z Olbrzymow ktory.
Tym ſpoſobnieyſza, im ſroſzſza, do boiu
Twarz zaniedbana, i okrom ſtroiu.
Ktorey na miękkim ochędoſtwie ſchodzi,
Ale ogromny gniew go nagrodzi.

Gdzie

Et ferri memores genæ,
    Hesterniq; notent vulnera prælii.
Cristæ non facient virum,
    Non arguta suis colla coralliis.
Thoracas Pavor & Metus
    Dicuntur Siculis fingere malleis,
Et primi scopulis super
    Procudisse vagis scuta Cydoniis.
Nos stultum tegimur caput,
    Et letho tenues obiicimus moras.
At quos eruerit sibi,
    Directis oculos invida spiculis
Mors affingere creditur.
    Fatis mille loci, mille patent viæ:
Sed signat jaculis locum,
    Qui vultum subitis dimovet ictibus,
Devotumq; mori latus
    Objectu tremulæ protegit ægidis.
Nudos bella pavent viros.
    Audentes animos ipsa volunt propè
Declinare pericula.
    Cùm consangvineæ ferrea Græciæ
Hector rumperet agmina,
    Torvis sæpè genis turbidus, obvios
Fati terruit impetus.
    Quos Fortuna timet, vitat, & acrium
Differt prælia mentium;
    Et mors sæpè viris invidet auream
Famæ pandere semitam.
    Quòd si belligerâ cesseris orbitâ
Post te fata citaveris,
    Ostendesq; neci, quâ fugies, viam.

ANTI-

Gdzie w nieumknione ſkronie, cięte razy;
Swieżey chowaią woyny obrazy.
Nie czyni mężem naſtroſzona kita,
Nie obroz ſzyina koralmi wita;
Strach z Trwogą (iako wieść) w Etneyſkiey ſkale
Hartuią tarcze, bladzi Kowale
Z tych kuźni wyſzedł dla ciała ochrony
Napłoche pierwſzy puklerz Cydony:
A my nie mądrą głowę ukrywamy;
Słabym ſię murem śmierci ſkładamy.
Ktòrych śmierć oczu ſama poſtradała,
Zawiſna w groty ſwe powprawiała.
Każdy z nich byſtro i widzi i lata:
Tyſiąc mieyſc, tyſiąc dròg maią fata:
Lecz ſam cel ſobie òw naznacza zgoła,
Kto boiaźliwie uchyla czoła:
I na ſztych prawie mieyſce wyſtawuie,
Kto drzącą tarczą boku ratuie.
Nagich zaś mężòw bitwy ſię lękaią;
Same od śmiałych ſzwanki pierzchaią.
Tak krewney ſobie przez Grecyi wrzawy
Gdy ſię przedzierał Hektor ow krwawy;
Lubo go nieraz ſnać śmierć ſpotykała,
Na gniew i minę natrzeć nie śmiała.
Ktòrych ſię lęka, precz od takich boczy
Fortuna, i harc z nimi odwłoczy.
Sama śmierć mężom częstokroć zazdrości
Drogi do ſławney podać wieczności.
Puściſzli w nogi ſię z Marſowey toni,
Oſtrog więc fatòw dodaſz pogoni:
A gdzie, pierzchliwą, kolwiek rzuciſz nogę
Smierci do ſiebie naznaczyſz drogę.

ANTIDOTUM
UTRIUSQUE FORTUNÆ

Lib: 1. Ode 13.

NOn ſi ſol ſemel occidit,
Non rubris iterum ſurget ab Indiis;
Nec ſi quos celeris rotæ
Sors non exiguo proruit impetu,
Non lapſos iterum levet,
Arguto docilis ludere cum joco.
Ne ſpem projice, Tarquini:
Cujus pœnè retrò lambere pulverem
Et veſtigia diceris,
Cùm fortuna levem verterit orbitam,
Effuſam ſuper & luto
Fumantem poteris cernere purpuram.
Tunc & riſibus abſtine,
Neu turpi domino lumina paveris:
Neu calces nimiùm, memor,
Fortunæ geminam ſæpè jaci pilam.

FRÆNUM ADOLESCENTIÆ
FEROCIORIS.

Lib: 1. Ode 14.

NUllus effrenæ rabiem juventæ
Æſtus Ætnei ſuperet camini:

Nulla

LEKARSTWO
NA OBIEY FORTUNY CHOROBĘ.

Nie preto, że się słońce nocnym gzłem zachmurzy,
Z czerwonych Indyi zaś się nie wynurzy;
Nie przeto, że kto kołem roztrącony runie,
Nie przydzie go zaś podzwignąć Fortunie.
Gra to iey ustawiczna, tym się żartem bawi:
Ze to obala, to na nogi stawi.
Nadziei się nie puszczay; czyie teraz pięty
I ślad całuiesz, a on też poddęty
Szczęściem ciebie wyprzedza: skoro w kołowrocie
Wartkim odmieni, obaczysz go w błocie:
A owa co się w oczu twych teraz czerwieni,
Swiętną purpura barwę w dym odmieni.
W ten czas pomni na mściwy śmiech zarzucić wodze,
Ani się pastwić nad upadłym srodze;
Tym barziey po nim deptać; maiąc na pamięci,
Ze się w przemiany szczęścia koło kręci.

MUNSZTUK BYSTREY
MŁODOSCI.

Nigdy rozpustnym Ethneyskie upały
Bystrey młodości wrzawom nie zrównały,

Nulla conceptos jaculantis igneis
Ira Vesevi.
Crescit infestis animosus ausis
Ardor, & primæ juvenile vitæ
Robur adversum sibi luctuosis
Dissidet armis.
Sic ubi densis Aquilo procellis
Bella montanis meditatur Euris,
Et potens igni Notus, & sonorus
Imbribus Æther;
Hinc repentinos struit aura monteis,
Inde bacchantûm patiens procellarum
Ingemit littus, resonumque saxis
Tunditur æquor:
Fervet hinc illinc inimica Tethys:
Pacis incertus, dubiusquè belli
Fluctuat pontus, cui militares
Instruat undas.
Mollior læsi tamen ira ponti,
Lenior motis Aquilo procellis,
Puberum, Juli, quatiente cæcas
Turbine mentes.
Hîc ubi pugnax equitavit Auster,
Incitæ remis volitant carinæ,
Quas leves auræ, facilisquè veli
Trudit Japix.
Quæ semel certo metuendus arcu
Fixit, aut recti timor, aut cupido,
Rara pacatis agitata sidunt
Pectora curis.
Fortiùs pugnes juvenum domando
Spiritu, quàm si juga feriatis

Induas

Ani, które gdzieś płomienie wylewa
Otchłań Wezewa.
Roście zuchwalſtwo przy zapalczywości,
Gdzie z ſił kwitnących przybywa śmiałości,
A buyny umyſł z właſnemi hałaſy
Chodzi w zapaſy.
Taką więc burzą Aquilo nanieſie,
Kiedy z górnemi Eurami zeworzeſię,
A parny Notus pchnie przez deſzcz gwałtowny
Piorun hartowny.
Tu z wód burzliwych nagłe wały wſtaią;
Tu o cierpliwy brzeg ſię roztrącaią;
A woda na brzeg, brzeg na morſkiey flagi
Skarży ſię plagi.
Tam i ſam Neptun miece ſię gniewliwy,
Miedzy pokoiem i woyną wątpliwy
Huczy ocean, w którą ciſnąć ſtronę
Tarany ſłone?
Łagodniey iednak Neptun zagniewany,
Lżey ſię Akwilo ſroży wyuzdany,
